



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

Capita Libri V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916



INSTRUCTIONIS SACERDOTVM,

LIBER V.

De quarto præcepto Decalogi, *Honora parentes.*

CAPVT I.

ABSOLVTIS præceptis primæ tabulæ, quæ ad Dei honorem pertinebant, nunc de præceptis secundæ tabulæ tractare oportet: vnde merito hunc librum, maioris distinctionis gratia, separauimus. Hæc autem pertinent ad dilectionem proximi, sicut illa primæ tabulæ ad dilectionem Dei pertinebant. Inter hæc, primum, quod ordine quartum est, ponitur præceptum honorandi patrem, & matrem, quod habetur Exodi 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* In cuius explicatione duo perpendenda sunt. Alterum est, qui vocentur hic pater, & mater. Alterum, quomodo sint pater, & mater honorandi.

Circa primum, vt benè aduertit Concil. Coloni. & Doctores in explicatione huius, quatuor genera personarum sub his nominibus comprehenduntur, saltem sub patris nomine. Primum est parentum, qui nos secundum carnem genuerunt. Alterum est superiorum potestatem spiritualem habentium, vt sunt Episcopi, Curati, Pastores. Tertium est, potestatem secularem habentium, quales sunt Reges, Principes, Duces, Domini. Quartum est aliorum, qui aliquam supra nos potestatem habent, quales sunt Magistri, tutores, & alij huiusmodi: omnes isti sub hoc præcepto includuntur; quamuis primum locum obtineant patres primo modo considerati: ordine tamen suo de omnibus oportet dicere, non solum quomodo inferiores erga superiores, sed etiam superiores

Kk 4

erga

erga minores se habere debeant, quodque sit singulorum officium.

Circa secundum, aduerendum, omnia Decalogi præcepta esse fundata in iustitia. Est enim iustitia quædam virtus, qua reddimus cuique, quod suum est: huius quatuor sunt partes. Prima est, qua Deo reddimus, quod suum est, illique debemus; & hæc dicitur Religio. Hæc enim nos inclinât, ut Deo exhibeamus debitum cultum, & honorem. In qua virtute, tria præcepta primæ tabulæ fundantur. Altera est, qua parentibus secundum carnem impediunt, quod eis hoc titulo debemus; & hæc dicitur pietas: & hæc in isto præcepto fundatur. Tertia est, qua alijs superioribus exhibemus ea, quæ ratione superioritatis debemus; & hæc dicitur obseruantia: & ista etiam in hoc præcepto continetur. Quarta est, qua alijs proximis generaliter impendimus ea, quæ debemus, & hæc dicitur proprie iustitia: & hæc alijs sequentibus sex mandatis comprehenditur: est igitur hoc præceptum pietatis, & obseruantia. Oportet ergo incipere a pietate, quæ erga parentes secundum carnem versatur.

Filij tria tenentur exhibere parentibus (& in his honor, ad quem obligantur, consistit) puta amorem, obedientiam, & reuerentiam.

Circa amorem aduerte, obligari filios erga patrem, & matrem ad amorem internum; adeo ut, qui odio habet patrem, vel matrem, desiderando eis aliquod notabile malum delibet, siue malum animæ, siue corporis, mortaliter peccet, & gravior quam si istud odium esset erga alterum; adeo ut teneatur in confessione istam circumstantiam exprimere, ut tenet Nouus ca. 14. num. 11 sicut, qui patrem occideret, teneatur exprimere circumstantiam.

Rursus secundo, non sufficit amor internus, sed debet esse igno exteriori aliquando manifestus, adeo ut, qui exterius dure & asperè tractat patrem, ipsumque contristat, si id sapè faciat, aut multo tempore, mortaliter peccet, iuxta Alex. p. 3. q. 3. & Sylu. verb. filius, §. 25.

Rursus tertio, tenentur necessitati patris spiritali, in quantum possunt, subuenire: vnde, qui in mortis articulo non curat, ut pater cõfiteatur, ut faciat testamentum, imò arcent illum a testamentò, ne rei aliquid imminuatur, peccant mortaliter.

Ad hanc necessitatem spiritualem reducitur, post mortem pia opera testamentis patrum ordinata implere, cum primum fieri

iri potest; eaq; differre, absque iusta causa & graui, est peccatum mortale.

Rursus quarto, tenentur etiam corporalibus necessitatibus, in quantum possunt, subuenire: vt, si infirmi sint, visitare, & attendere si quid desit, quod prestare possint; si in carcere detinentur, adhibere operam quantum possunt, vt liberentur; si mente capti sunt, vt eis debite prouideatur.

Rursus quinto, tenentur eis in paupertate subuenire, cum possunt, aut in vitæ periculo. In cuius gratiam aduerte, necessitatem posse duplicem esse, aut extremam vitæ, vt si pater Ver. gra. esset adeo pauper, & impotens, vt nec haberet victum, nec posset conquirere, aut si esset morti obnoxius, nisi summam pecuniæ daret, quam nec habet, nec est, qui det: Altera necessitas non est extrema, sed multum grauis. Vtraq; obligat filium, vt, si possit, succurrat: adeo autem obligat, vt, si filius qui possit iuuare patrem, ipsum relinquat, ingrediaturq; Religionem mortaliter peccet, vt tenet S. Thom. 2. 2. q. 101. art. 4. ad quartum: obligatur enim succurrere, & non intrare. Si vero iam est professus, aliqui putant in vtraq; necessitate teneri egredi, at verò Caietan. loco allegato: 2. 2. & Nauar. cap. 14. nu. 14. dicunt non teneri, nisi in extrema necessitate; in graui autem non licet: huic consentit S. Thomas. Addit Nauarr. nisi cum intravit Religionem, pater erat in illa graui necessitate; nam tunc tenetur egredi, quia iniuste intravit. Conueniunt autem isti in omni casu posse egredi, petita tamen prius facultate, licet non obrepta a superiore. Ista intelliguntur iuxta Alex. p. 3. q. 33. annot. 2. m. 4. quando non est necessitas spiritualis filii: nam tunc non tenentur, cum peccati mortalis graui periculo necessitati illius corporali subuenire, Vide quanta sit obligatio filiorum.

Rursus est tanta, vt in necessitate extrema filiorum & patris, filius teneatur potius subuenire patri quam filijs; vt tenet Sylu. verb. filius. §. 26. & S. Thom. 2. 2. q. 26. ar. 9. ad 3. Nam in necessitate maior est obligatio ad patrem quam ad filium, vt non extra extremam. Aliqui contrarium putant, & vtrūq; probabile est. Probabilius est primum. Hoc igitur modo exhibendus est amor patri.

Est etiam obedientia exhibenda: hæc autem est quantum ad multa.

Primo tenetur filius obedire patri in his, quæ ad gubernationem domus pertinent; & non obedire in his, cum res est

gravis, & maximè si ex contemptu & animi obstinatione faciatur, peccatum est mortale.

Rursus, secundò tenetur obedire in his quæ ad bonos mores pertinent. Non igitur acquiescere præceptis patris circa mores, conantis filios à peccato mortali, vel horum occasionibus arcere, est peccatum mortale, cum præsertim perniciosa adest.

Rursus, ducere uxorem indignam contra voluntatem patris, peccatum mortale est; secus, si sit digna, non est mortale, nisi cum multum refert patri aliam ducere. Cum inimicitie paternæ componuntur ex matrimonio, si filius nolit ducere uxorem, quam dat pater, si digna sit, est mortale, licet ducat aliam dignam. Aduertendum tamen, quòd in rebus iniustis & malis non tenentur filij obedire parentibus: & in his intelligitur illud, *Uxi non negauerit patrem suum, non est me dignus*. Nec tenetur obedire, quando est extra patris potestatem, ut in statu Religionis. D. Thom. 2. 2. q. 101. art. 4.

Est etiam reuerentia exhibenda parentibus.

Primò, qui percutit patrem, vel minatur iniuriosè, mortaliter peccat Exod. 21. reus erat propter hoc mortis. Secundò, qui maledicit patri ex deliberatione, mortaliter peccat, & qui etiam verba in eum profert, quæ ex se sunt prouocatiua in magnam iram: secus, si verba ex se non sunt talia, sed quia pater est extra modum cholericus, tunc non est mortale.

Rursus, qui dedignatur patrem, quia ipse in dignitate est, pater verò in paupertate, peccat mortaliter: cum tamen aliquod damnum filio obuenerit notabile in vita, vel in honore, vel pecunia, si pater eius nosceretur, non esset mortale negare patrem, dummodo in animo non neget patrem, & subueniat necessarijs.

Rursus, accusando patrem coram iudice in criminali foro peccat mortaliter; nec auditur filius. Non enim filius accusator debet esse criminis paterni. Licet tamen coram iudice petere alimenta, quando ei iniuste à patre negantur, ut dicit Syl. verb. filius. §. 28. in duobus casibus filius debet accusare patrem: scilicet in crimine læsæ maiestatis, & in crimine hæresis. At Alex. p. q. 33 dicit, quòd non in omni hæresi, nisi quando est perniciosa, quòd alios inficit, si tamen secreta sit, & solum ipsi patri nociua, non tenetur. Hæc sunt igitur, ad quæ filij tenentur erga parentes.

At parentes erga filios ad tria tenentur.

Primò

Primò subuenire in corporalibus: debent enim non negare alimenta, nisi aliquando ad tempus, in pœnam alicuius peccati grauis, & dum non incurrat filius notabile detrimentum. Hinc fit, vt exponere filios in templis extra necessitatem sit mortale. Similiter, non subuenire in alijs necessitatibus corporis.

Secundò, subuenire in spiritualibus: Debent enim attēdere, vt filij bonos imbibant mores; vt seruent præcepta Dei; vt abstineant à malis; non permittere esse sibi inobedientes, superbos, ociosos.

Tertiò, tenentur nō retrahere à bono statu: vnde qui filium à Religione extra hit, mortaliter peccat; & qui volentē ingredi sine iusta causa impedit; similiter qui coercet à bonis, à confessione, à concione.

Rursus, tenentur non cogere ad statum aliquem: Vnde parentes, qui inuitos filios aut filias matrimonio iungunt, peccant grauissimè: tum etiam, qui inuitas filias in monasteriū trahunt, ibiq; profiteri compellunt. Circa quod vide Concil. Trid. sess. 25. c. 17. & 18. Hæc sunt, quæ circa patres & filios præcipue sunt aduertenda.

De obligatione viri, & vxoris.

CAPVT II.

Non solum est obligatio patrum, & matrum in ordine ad filios, sed etiam inter virum & mulierem.

Vir tenetur primò non impedire absq; causa legitima, vxorem suam ab impletione diuinorum præceptorum, vt ab audiendo sacrum in diebus festis, à confessione & communione tempore Paschatis, & ab alijs præceptis. Atque impedire absque legitima causa, peccatum est mortale. Ab alijs autem, quæ ex deuotione sunt, vt audire sacrum diebus profectis, confiteri alijs temporibus, impedire, non esset mortale; est tamen veniale, si sine causa rationabili fiat, cum deuotiones moderatæ sunt. Et aliquando esset mortale, cum vxori multum conuenit confessio, aut communio, idque viro constet.

Secundò, tenetur eam non percutere grauius, dico grauius, quia non semper est peccatum mortale percutere, cum inferior viro, possitque ob culpam castigari ab eo; tamen

extra modum percutere, non habita ratione personæ, & conditionis illius, quia vxor, non serua est, peccatum est.

Tertiò, tenetur non afficere iniuria, animo afficiendi iniuria: quamuis enim aliquando liceat verbum iniuriæ dicere ob correctionem, tamen animo iniuriandi est peccatum, & iuxta iniuriæ quantitatem peccati grauitas pensanda est.

Quartò, tenetur attendere domus gubernationi, quantum ad rem, & mores. Si enim quis bonorum dissipator est, nec vult laborare, cum labor illius necessarius est pro vxore & domus sustentatione, peccat. Similiter cum peccare vxori permittit, nec ipsam, vt potest, corrigit. Ipsi enim incumbit morosa sollicitudo, quia caput est.

Quintò, tenetur cohabitare cum illa. Nolle enim cohabitare absq; causa multo tempore, peccatum est graue, dico absq; causa: aliquando enim causa est legitima ad tempus non cohabitandi; vt, cum negotia aliquot in domus vtilitatem trahat, vel cū ad tēpus exulat, vel cum inimicitias habet, quas sperat componendas breui. Dico, ad tēpus, quia, cū spes reditus abire est, tenetur, si potest, vxorem extrahere ab illo loco, vt secum cohabitet.

Vxor etiam ad aliqua tenetur ergo virum suum.

Primò, obedire in his, quæ ad bonos mores, & domus gubernationem spectant: est enim vir caput, cuius est vtrumque dirigere. Velle autem, viro spreto, gubernare, mortale est.

Secundò, si cum morosa sit, & rixosa, cognoscat ex eo vitiū sepe in blasphemiam prorumpere, tenetur in quantum potest mutare se, & non dare similes viro occasiones; aliter mortale esset, velle sic perseuerare.

Tertiò, tenetur sequi virum suum ad cohabitandum in locum, in quem ipse vult eam ducere. Sunt tamen aliquot casus in quibus non tenetur sequi virum.

Primus casus, si ex tali mutatione illi immineret vitiū, & crimen: non enim cum suæ vitæ probabili discrimine tenetur ipsum sequi.

Secundus est, si imminet periculum peccati mortalis.

Tertius, si vir vagabundus est, nec in eodem permanet loco; dum modo non fuerit talis, cum ei nupsit: si enim tali nupsit viro, tenetur ipsum sequi: si vero post matrimonium factus est, non tenetur sequi.

Quartus casus est, si in matrimonio intercessit pactum non mutandi locum, tunc non tenetur ipsum sequi, volentem locum

cum

cum mutare: quod solum veritatem habet cum necessitas non
 eget virum. Interueniente necessitate, vt vir locum mutet,
 credo, etiam stante pacto, teneri.

De Episcopo.

CAPVT III.

Secundum locum inter patres tenent hi, qui in dignitate
 Ecclesiastica sunt constituti. Horum autem primi sunt E-
 piscopi, de quibus aliquid dicendum est. Episcopus, nome
 est Græcum; idem Latine significat, quod speculator superin-
 tendens: est enim officium eius, attendere gregi, & homini-
 bus, qui sub eo sunt; studere spirituali eorum saluti. Multa sunt
 in quibus peccare contingit erga Episcopatum, quæ ad qua-
 tuor capita redigi possunt. Quædam enim committuntur
 ante Episcopatus collationem, quædam in collatione ipsa,
 quædam ante consecrationem & post collationem quædam,
 postquam iam Episcopus consecratus est.

Ante collationem Episcopatus homo dupliciter peccare
 potest in appetendo & procurando Episcopatum. In declara-
 tione peccatorum, quæ in hoc appetendo committi possunt,
 aduerte tria in Episcopatu posse considerari. Primum est ipsius
 officium, in quod omnia ordinantur, hoc autem est antece-
 dere, & prodesse vniuerso gregi. Alterum est ipsa prælatura &
 gradus, qui est perfectior monachatu, vide S. Tho. 2. 2. q. 185. &
 2. q. 1. cap. qui Episcopatum. Tertium est, redditus temporalis,
 & honor, qui Episcopo exhibentur.

Sunt igitur istæ regulæ.

Prima est. Qui existens indignus Episcopatu, & insufficiens
 appetit (appetitu deliberato) ipsum habere, nec cogitat se dig-
 num exhibere, mortaliter peccat, quia appetit id, quod habere
 mortale est. Idem dicendum de quocumq; beneficio & digni-
 tate Ecclesiastica.

Secunda. Quamuis se dignum probabiliter credat, si tamen
 appetit Episcopatum, ita vt paratus sit, si posset, etiam via in-
 iusta, & per peccati mortalis commissionem habere, mortali-
 ter peccat, hoc etiam de alijs dicendum est.

Tertia. Qui appetit Episcopatum (quamuis dignus) propter
 redditus temporales, tamquam finem, mortaliter peccat, se-
 cundum Sylu. verb. Episcopus. §. 4. quia est cupiditas pericu-
 losa,

iosa, & bono communi repugnans. Dixi tamen tamquam finem, quia moueri ad appetendum Episcopatum à retribuis, non est mortale, dum non faciat homo ipsos fines; si aliquis potest licite moueri ad amandum Deum à retributione, quam sperat, licet non amet propter eam ut finem.

Quarta. Idem est dicendum de eo, qui Episcopatum propter honores appetit ut finem: est enim ambitio nimis bono communi repugnans, ut tenet idem Sylu.

Quinta. Qui appetit Episcopatum propter gradum præcipue, peccat, ut dicit S. Tho. 2. 2. q. 183. ar. 1. peccato præsumptiuo, quia cum sit altus status, & perfectionis, præsumptiuum est, hominem appetere talem gradum: licet licitum esset appetere, ut Deus ei tantam perfectionem daret, ut tali gradu dignus esset. Illo tamen modo appetere, credo non esse mortale, sed veniale; quia non inest tanta peruersio, quanta est in appetitu propter honores & redditus.

Sexta. Qui appetit Episcopatum propter officium, ut a se proficit, ex se quidem non peccat, quia licite potest id aliquando fieri; tamen peccatum est, nisi fiat cum necessitate, puta quando non est, qui dignè Episcopatum talem habeat, vel cui reuelatione aliqua, vel Spiritus sancti inspiratione. Hæc S. Thom. loco allegato: & ratio est, quia illud, prodesse aliis est coniunctum cum præesse, quod est difficile, unde videtur esse præsumptio tale appetere officium. Puto tamen, quod, qui solum propter utilitatem aliorum moueretur ad desiderandum, non peccaret, licet periculosum sit, quia facile moueri potest appetitus præsidendi & honorandi ab alijs. Hæc sunt circa appetitum, nec est ista doctrina contra illud, ad Timotheum 3. *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: nam Paulus non dicit, benè desiderare semper, qui Episcopatum desiderat, sed bonum opus desiderare; quod statim explicat, narrans perfectionem Episcopi. Potest autem bonum non benè aliquando desiderari in procurando Episcopatum, & committi potest peccatum. Sylu. verb. Episcopus, putat in quocumque casu, etiam in necessitate, peccatum esse procurare, sed ego non credo, putato enim licere, cum necessitas vrget: in quo casu dicit S. Tho. licitum esse appetere. His modis contingit peccare ante Episcopatus collationem.

In ipsa collatione tripliciter potest esse peccatum.

Primo, si, cum ineptus sit, Episcopatum recipit. Verbi gratia: si ignorans sit: si peccator est publicus, nec se emendare

intendit: si inutilis & ineptus gubernationi; non enim potest accipere, quod non potest retinere.

Secundo ex parte ipsius collationis, si per simoniam fit, si per intrusionem, si per fraudem: est autem fraus, dissimulare id, quod exprimendum est, quia necessarium est in Episcopatu. Hæc autem habentur in Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. de reformatione: est necessaria ætas, vita bona, ordo sacer, ad minus subdiaconatus per sex menses antè susceptus, & doctrina: hæc autem debet esse notabilis, ut sit doctor, vel licentiatus in Theologia, vel in iure Canonico, ab vniuersitate aliquamdiu meritis approbatus, aut à tali vniuersitate testimonium huius doctrinæ habens. Qui autem aliquid horum fingit, peccat grauiter.

Tertio, etiam contingit peccatum in recusando finaliter Episcopatum. Cum enim ex obedientia Papa obligat aliquem, ut suscipiat Episcopatum, non potest absque peccato finaliter recusare, sed debet acceptare: & si habet impedimentum, quod ipsemet potest auferre, ut si peccator est, tenetur auferre, ut dicit S. Thom. loco citato: si autem est impedimentum, quod Papa potest, debet manifestare: si neuter potest auferre, puta, quia est ignarus vel inutilis, prorsus non debet acceptare, nec hoc licitè potest Papa præcipere. Tenetur etiam acceptare, cum necessitas urget boni Episcopi, quamuis sine præcepto ei offeratur: hæc autem sunt in collatione.

Post collationem verò, ad vnum obligatur Episcopus, ex Concil. Trid. sess. 23. c. 2. de reformatione, ut intra tres menses proximos suscipiat consecrationem, quam nisi susceperit, omnes redditus pro rata illius temporis restituere tenetur. Quod si intra tres alios non susceperit, ipso iure sit Episcopatus priuatus. Hic tamen non credo obligari Episcopum ad mortale, nisi contemptus adsit, sed ad solam pœnam. Si quis tamen multo tempore consecrationem non suscipiat, cum illi, non excusatur à mortali, cum suscipiat redditus, non exercens officium, pro quo ipsi dantur. Hic canon comprehendit etiam Cardinales Episcopos.

De Episcopo post Consecrationem.

CAPVT IV.

Postquam iam Episcopus constitutus est, & consecratus, vt suum possit exercere munus, ad multa tenetur.

Quorum primum est, in propria Ecclesia personaliter residere: in cuius gratiam declarandum est caput primi Concilii, Trid. sess. 13. de residentia, in quo tria continentur. Primum est peccatum nolentium residere. Secundum est, poena tali peccato imposita. Tertium est, causæ, propter quas potest ad tempus non residere in Ecclesia propria.

In primis peccatum est nimis graue mortale, non residere in Ecclesia propria absq; causa. siue enim residentia sit de iure diuino, siue humano, quod nos non intendimus modo definire, omnes conueniunt esse mortale, & magnæ damnationis. Per Episcopos hic intelligere oportet, non tantum Episcopos, sed Archiepiscopos, Patriarchas, & superiores, etiam Cardinales Episcopos.

Pœna autem à Concilio imposita est, vt toto tempore, quo non resederint, oēs integros redditus pro rata perdant, sinisq; reddendi, vel Ecclesiæ fabricæ, vel pauperibus, & absq; ulla declaratione vel sententia, sed ipso facto teneantur in conscientia ipsos reddere.

Circa autem causas non residendi, aduerte esse duplicem absentiam.

Altera, quæ ad modicum fit tempus, & reputatur pro non absentia, & hanc permittit Concilium cum quatuor conditionibus.

Prima est, vt sit rationabilis aliqua causa absentia: vt gratia, si est recuperanda valetudinis gratia, vel conseruanda, vel excipiendi aliquem magnatem, vel alicuius negotij causa, vel quid simile. Nulla enim rationabili causa existente, nulla permittitur absentia.

Secunda est, vt inde non patiatur grex detrimentum: debet enim prouidere, vt talis absentia detrimenti non sit causa occasionibus.

Tertia est, vt ipsa absentia sit, ad summum, duorum, aut trium mensium, siue continuè fiat, siue interpolatè: omnes enim absentia, si multæ fiant, simul sumptæ, non debent tale spatium excedere.

Quar-

Quarta, vt quantum fieri potest, ista absentia non sit temporibus Aduentus, Natiuitatis, Quadragesimæ, Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi: his enim temporibus oues maxime delectantur præsentia pastoris.

Altera absentia est longa, quæ verò pro absentia reparatur quæ fit per annum, aut duos vel tres, vel plures; etiam quæ fit, per plures tribus prædictis mensibus.

Talis absentia debet fieri tribus conditionibus existentibus.

Prima est, vt sit cum aliqua harum quinque causarum, quæ sunt, Christiana Caritas; vrgens necessitas, euidens reipublice utilitas, euidens etiam Ecclesiæ utilitas & debita obedientia.

Secunda, vt talis causa approbetur prius Papa, vel à Metropolitanò, & hoc deficiente Suffraganeo seniore residente: & talis approbatio in scripto contineatur, nisi sit causa publice manifesta, qualis est Ecclesiæ vel Reipublicæ euidens utilitas.

Tertia est, vt in tali absentia maxime prouideat, vt Ecclesia ex ea nullum detrimentum patiat. His omnibus stantibus, absentia licita erit, licet longa sit. Superest nunc causas illas quinque declarare.

Per Christianam Charitatem oportet intelligere proximum utilitatem: cum enim proximus laborat, potest, vt illi succurratur, aliqua fieri absentia. Verbi gratia, est Ecclesia aliqua, quæ versatur in periculo hæresis magno; potestque multum Episcopus alterius diocesis eis prodesse sua prædicatione, tunc, relicta propria potest ad tempus in aliena morari ob proximum utilitatem. Tamen ista causa intelligenda est, dum in propria non sequatur notabile detrimentum spirituale: tunc enim abesse non potest, sed propriæ attendere debet, licet minus indigeat: potest etiam ob pacem magnatum componendas abesse; sed semper intelligenda est causa hæc: non sit maius detrimentum; aut minus, sed notabile, quod sequetur in propria Ecclesia: tunc enim relinquere eam, contra Charitatis ordinem, quod plus sibi quam alteri quis debet.

Altera causa est vrgens necessitas, cum nimirum periculum imminet Episcopo vitæ, nisi discedat ab Ecclesia, vel ob infirmitatem, vel ob persecutionem alicuius tyranni, vel aliqua simili causa: tunc enim potest ad tempus recedere, dum modo non sequatur spirituale detrimentum gregis: tunc enim

debet mortem appetere potius: in hoc enim casu illud verificatur, *Bonus Pastor ponit animam suam pro ouibus suis*. Cum igitur tyrannus, vel hæreticus nocere ouibus studet spiritualibus, potius debet pastor mori, quàm oues deserere.

Tertia causa est, euidens reipublicæ utilitas: in utilitatem enim totius Regni, vel Prouinciæ temporalem potest etiam Episcopus abesse: Debet tamen ista causa esse cum necessitate: cum enim aliter quàm per Episcopum potest id fieri, non debet Episcopus abesse: vnde isti Episcopi, qui curâ rerû secularium regni gerunt, cum id ex necessitate fit, licet abesse possunt: cum verò extra necessitatem, quia æquè per non Episcopos fieri res potest, non videntur excusari. Debet autem ista utilitas esse euidens; nam cum non ita nota est melius est, vt Episcopus maneat in sua Ecclesia, immò manere tenetur.

Quarta causa est, euidens Ecclesiæ utilitas: cum enim propria indiget Episcopi absentia, ad aliquid pro ea procurandum abesse potest. Similiter in utilitatem vniuersalis Ecclesiæ vt cum Concilium generale, vel prouinciale congregatur. Similiter cum legatione aliqua fungitur in beneficium totius Ecclesiæ, quæ non ita bene, nisi per Episcopum fieri potest: cum enim aliter potest, non licet abesse.

Vltima causa est, debita obedientia: cum enim Papa imponit aliquod negotium Episcopo, quod requirit ad tempus absentiam, abesse potest. Sed attende, quod non sufficit obedientia tantum, sed debita, quia cum absq; causa rationabili aliquid præcipitur, non debemus audire, nec Papa pro solo libito excusata præsentia suæ Ecclesiæ Episcopum, nisi cum necessitate aliqua. Maxime igitur causa attendenda est, ne sit inferioris momenti, quàm utilitas propriæ Ecclesiæ, & sit cum necessitate aliqua. Hæ sunt causæ, ob quas Episcopus potest ad tempus non residere, sine quibus abesse, vt diximus, mortale est peccatum: cuius grauitas ex quibusdam malis, que sequuntur, percipi potest. Sunt enim seculares irreuerentes, Clerici irreligiosi, perit doctrinæ puritas, & pauperes nimis patiuntur, & multa alia sequuntur incommoda. Hoc igitur primum est, ad quod Episcopus tenetur.

Secundo, tenetur ordines per se ipsum conferre, vt habetur eadem sess. cap. 3. Quod si aliquo legitimo impedimento detentus non potest, mittat suos, probatos & examinatos prius ad alium Episcopum. Adde etiam, quod tenetur Confirmare.

tionis sacramentum adhibere, quod non nisi per Episcopum administrari potest: in quo mirabilis est abusus: multi enim sunt senes non confirmati, defectu Episcopi non ministrantis. Debet etiam singulis annis chrisma conficere ut baptizandis nouum detur: ut habetur de consecr. dist. 4. c. omni tempore. Hæc igitur, quæ non nisi per Episcopum ministrari debent, tenentur sedulo & diligenter, pro necessitate exhibere.

Tertio tenentur ordines non nisi dignis conferre: unde, admittere ignorantes, & homines malæ vitæ ad sacros ordines, nullâq; in hoc, aut paruam facere diligentiam, & examē, mortale peccatum est. Rursus non sunt admittendi, qui nullam virtus rationem habent ad sacros ordines; & si Episcopus admittat, tenentur ipsis alimenta præstare.

Quarto, tenentur beneficia conferre dignis, & ijs, qui tale possint beneficium exercere: est autem sufficientia maior vel minor, pro beneficiorum qualitate petenda: Nam maius est officium Curati, quam simplicis. Qui autem relicto digno, confert indigno, peccat mortaliter, & tenentur ad restitutionem secundum omnes. Ista autem restitutio est Ecclesiæ illi faciendâ, cuius est beneficium, ut tenet Sylu. verb. restitutio. 3. §. 2. & Sot. lib. 4. de iust. & iur. q. 6. ar. 3. contra Caiet. qui dixit esse digno faciendam. Non solum autem est digno conferendū beneficium, sed digniori: si enim relicto digniori, conferat digno, mortaliter peccat Episcopus (non tamen tenentur ad restitutionem vllam) dum tamen sit apertè dignior, & in notabili excessu. Cum enim res est dubia, vel excessus est paruus, vel probabiliter tantum maior ab aliquo speratur futurus excessus, non esset mortale, non digniori conferre.

Quinto, tenentur cōcionari, & seminare verbum Dei per se, ut habet Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 1. nisi legitimo tenentis impedimento sit. Tunc tamen debet providere sufficientes homines, viros doctos & probatos, ac sanæ doctrinæ, qui id faciant; debetq; attendere, ne mala seminetur doctrina, a quibus, qui seminant, a prædicatione coercere & expellere, qui- busq; illi fuerint.

Sexto, tenentur singulis annis synodum diocesanam facere, in qua provideatur de rebus ad statum suæ Ecclesiæ pertinentibus. Hoc autem fuit ius antiquum, dist. 8. per multa capita, renovatum est in Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de reformatione, ubi etiam præcipitur Metropolitanis, singulis triennijs

Concilium prouinciale congregare, in quo omnes Episcopi, qui sub eis sunt, conueniant. Sunt enim aliquot causæ graues, vel totius Ecclesiæ, vel totius prouinciæ, vel aliquæ Ecclesiæ, quæ non possunt faciliè, nisi in tali congregatione disponi.

Septimò, tenetur singulis annis visitare suum Episcopatu, qui si non potest totum, saltem maiorem partem, ita ut biennio totum visitetur: si autem iuste impeditus fuerit, id faciat per Vicarium. Fuit autem ius antiquum. 10. q. 1. cap. relatum. cap. Episcopum, sed renouatum in Conc. Trid. ead. sess. cap. 3. in quo rationes, propter quas ista visitatio facienda est, ponuntur quinque, scilicet rectam, & orthodoxam doctrinam, expulsi erroribus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populos exhortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque; accendere, omnia ad fidelium utilitatem constituere. Quòd si omnia rectè se habere inuenerit, Deo gratias agat, ut habetur. 10. q. 1. cap. placuit.

Octauò, tenetur bonos ministros constituere, tam in foro interiori quàm exteriori, & in hoc deficere ex negligentia causa aut malitia, mortale est & graue. Hoc autem imponitur Episcopis in d. 89. cap. decenter, ne consanguineis tradant officia Ecclesiastica, & oppositum facere, mortale est: quòd intelligitur, quando scandalum sequeretur, aut insufficientes sunt. His cessantibus posset eis ista committere; quamuis, si alii sufficientes essent, securius esset in æquali causa committere quàm consanguineis.

Nonò, tenetur mores populi diligenter considerare, & super populum vigilare, & peccata publica, ut adulteria, iuramentorum, & similia prohibèdo; & si opus est, castigando; & maxime peccata clericorum animaduertendo. Videre autem & committere, horrendum est peccatum: nec excusatur Episcopus, si non sciat, nisi omnem adhibuerit diligentiam & inquisitionem ad hoc: hoc enim ad eius officium nimis spectat.

Decimò, tenetur esse vitæ irreprehensibilis, ut habetur 1ad Timoth. 3. ut nullum peccatum publicum committat, quòd alijs possit esse malo exemplo aut scandalo: vnde, si quis concubinarius esset (quòd absit) ultra grauissimum peccatum fornicationis, mortaliter peccaret, & ratione scandali subditis. Nec emphistotiesque peccaret, quoties esset scandalo subditis. Nec satis est ei, etiam non peccare, sed debet exemplar esse virtutis subditis suis: est enim *Ciuitas supra montem posita; & est lux eius*

sic debet lucere, vt subditi videant opera eius bona, & glorificans
Deum Patrem qui in celis est.

Vnde decimo, tenetur eleemosynas facere. Vt autem intelli-
gas quomodo ad hoc teneatur, aduerte, bona, seu redditus E-
piscopi posse esse duplicia. Quædam sunt, quæ titulo aliquo
sæculari habet, vel hæreditario iure à parentibus, vel donatio-
ne aliqua vel aliqua alia causa. Quædam sunt iure Ecclesiasti-
co habita. Aduerte rursus, in Ecclesia primitiua, vsq; ad tem-
pora Augustini, & Hieronymi, Episcopum & Clerum solitos
viuere in communi: vnde, bona, quæ vel ex decimis, vel ex fi-
delium deuotione offerebantur, erant indiuisa, & subdebantur
distributioni Episcopi, quæ partim ipsi, partim Clero, partim
fabricæ, partim pauperibus obuenebant. Postea verò, quando
quisq; per se vixit, talia bona diuisa sunt in quatuor partes:
prima Episcopo seruata, secunda Clero, tertia fabricæ,
quarta pauperibus, & sic in omnibus ferè locis manet ista
diuisio.

Hoc supposito: dico primò de bonis iure sæculari habitis,
non magis tenetur Episcopus facere eleemosynas, quàm prin-
ceps alius aut dominus sæcularis: peccat autem, aut auaritia,
aut prodigalitate, sicut alij; potestq; vti in quouis vsu absq; re-
stitutionis obligatione.

Dico secundo, si alicubi ista diuisio bonorum Ecclesiastico-
rum non est facta, tenetur Episcopus nihil subtrahere Clero,
pauperibus, aut fabricæ: bona enim talia retinere, & sibi vsur-
pare non solum mortale est, sed etiam ad restitutionem obli-
gat, & in hoc omnes conueniunt.

Dico tertio, vbi iam diuisio est facta, Episcopus, subtractis
his, quæ ad decentem victum & vestitum, & domus ornatum
pertinent, & subtractis his etiam, quæ gratia pietatis & cha-
ritatis potest in alios consanguineos indigentes, aut famulos
distribuere, tenetur residuum dare pauperibus sub mortali: &
in hoc omnes conueniunt; quamuis sint discordiæ. Quidam
tamen dicunt teneri ad restitutionem, quia non habet domi-
nium illius portionis pauperum: quidam, non teneri, quia
habet ipsum dominium. Credo non teneri cum sancto Tho-
ma. q. 183. quicquid tamen sit, mortale est male ista expende-
re. Possent quidem ex his, quæ ad decentem statum pertinet,
subtrahere aliqua, se restringendo, quæ in quosuis vsus pos-
set expendere, aliter non. Qualis autem debeat esse status Epi-
scopi & victus, audi Concil. Carthag. 3. can. 15. in hæc verba:

Episcopus vilem supellectilem, mensam, & victum pauperem habeat, & dignitatis suae auctoritatem, in fide, & vite meritis quaerat. Qui canon in Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. reformatus est, patrum mutatis verbis. Verba sunt ista Concil. Trid. *Exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum iubet, vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint. verum etiam, in reliquo vite genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum pro se ferat.* Haec Concilium. Et attende ibidem interdici, ex Ecclesiasticis bonis consanguineos, fratres, nepotesve augere: hoc enim, nullo modo licere ibi Concilium docet: quamuis possint, si pauperes sint, mediocriter eis providere. Et haec omnia etiam dicta esse vult de Cardinalibus. Ex his fit, vt Episcopi, licet testamentum condendi a Papa habeant facultatem, non possint aliter de bonis his disponere, quam in vita poterant. De quo vide Nauarr. cap. 25. num. 119. Haec autem omnia de bonis Ecclesiasticis, dicenda sunt de Curatis, & de beneficiatis, & his, qui titulo Ecclesiastico, bonis Ecclesiae fruuntur.

Duodecimò, tenetur Episcopus, si ex aliqua religione assumptus est ad seruanda statuta religionis: de quo vide S. Th. loco allegato: tamen cum discrimine ad essentialia vota tenetur. Tenetur ad castitatem: maius enim est vinculum Episcopi monachi, quam non monachi in castitate: si enim Papa cum monacho non potest dispensare, nec etiam potest cum Episcopo monacho. Tenetur ad obedientiam, sed haec commutata est ad Papam: sicut Generalis ordinis, non eximitur ab obedientia, sed commutatur ad Papam. Tenetur ad paupertatem: quamuis enim bona habeat, non dominium, sed vsum habet, vt tenet Syl. ver. monachus: quamuis Soto lib. 10. q. 4. vult ad paupertatem non teneri. Tenetur seruare suum habitum, & ad alia, quae potest cum statu tali seruare, vt, vesci piscibus, si erat Carthusianus, nisi cum eo dispensetur. Ad ea vero, quae non possunt esse in tali statu, non tenetur, vt ad solitudinem, multas abstinentias, & claustrum. Aduerte tamen, quod non obligant ista ad mortale, si in religione ipsa, seu monasterio non obligabant, & in casibus, in quibus superior poterat dispensare cum monacho, potest Episcopus sibi dispensare.

Decimotertio, tenetur Episcopus, si fecit votum religionis simplex, intrare religionem, & deserere Episcopatum, tametsi

petita licentia Papæ, quam petere tenetur, vt habet Syl. ver. vo
num. 3. §. 1. ex Palud.

Decimoquarto, tenetur Episcopus discordes vicinos, si po-
test, in concordiam & pacem redigere, vt habetur. 90. dist. cap.
præcipimus.

Tenetur decimoquinto, Notarios conuocare, & petere te-
stamenta, & examinare an impleta sint: si autem non sunt, im-
plere facere: ita habetur cap. si hæredes, de testam.

Decimosexto, non debet leuibus de causis excommunica-
tionem fulminare, Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. sed graui causa
ac forma iuris seruata, de qua diximus in materia de excom-
municatione.

Decimoséptimo, quando videt se non posse implere mu-
nus, sed peccare non implendo, vel præbere graue scandalum,
tenetur relinquere Episcopatum, petita licentia. c. nisi cum pri-
dem, de renunciatione. Multa alia sunt, quæ Episcopus facere
tenetur, quæ in præsentem relinquimus, in alio loco & tempo-
re diuino fauore dicenda latius. Vtinam ista, quæ diximus, E-
piscopi facerent, sicut tenentur, sperarem ad pristinam inno-
centiam in breui Ecclesiam Dei reformandam.

De Curato.

CAPVT V.

Dvo erga Curatum, id est, habentem beneficium cum
cura animarum, pensanda sunt. Alterum est, in ipsa be-
neficij collatione, alterum post.

In collatione consideranda sunt ea, quæ in Curato sunt
necessaria.

Primo, debet esse legitimus; Qui autem illegitimè natus
beneficium habet curatum abiq; Papæ dispensatione, nec po-
test redditus percipere, nec beneficium retinere. Dico autem,
sine Papæ dispensatione: nam in beneficio non curato potest
Episcopus dispensare.

Secundo, debet agere annum vigesimum quintum, cap. in
cunctis, & cap. licet canon, de election. si nondum hunc atti-
git annum sine dispensatione non potest retinere beneficiū,
nec fructus percipere.

Tertio, debet post collationem beneficii curati, intra annū
sacerdos fieri, aliter perdit titulum ipso facto. Quod quidem

intelligendum est de Curato non collegiato. De collegiato enim locum hoc non habet, vt determinatur in cap. statum, de elect. Potest Episcopus dispensare per septennium, gratia studij, vt habetur cap. cum ex eo, de elect. in 6. dummodo in primo anno fiat subdiaconus.

Quartò, debet habere, cum suscipit beneficium curatum, animum clericandi: qui enim non habet, ultra mortale peccatum, tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum pro toto illo tempore, donec animum mutet. Quod intelligendum est de curato etiam non collegiato, vt habetur in cap. commissa, de elect. De alijs beneficijs alij idem censendum putant; tamen, cum non sit ius ad hoc obligans, non videtur esse pena amplianda. Peccaret quidem mortaliter qui animo duce diuitem, retineret beneficium aliquod, tamen restitutioni non esset obnoxius. Nauar cap. 25. num. 124. & Soto lib. 10. q. 5. ar. 6. Gabr. 3. d. 15. q. 8. ar. 3. tenet obligari ad restitutionem in omni beneficio, etiam non curato.

Quintò, debet esse idoneus ministerio & officio, quod asserunt. Conc. Trid. sess. 7. cap. 3. vnde cui necessaria scientia deest, nec animum habet discendi, vel non cognoscit se aptum ad discendum, vel qui peccator est publicus, nec de emendatione cogitat, peccat mortaliter, suscipiendo beneficium curatum, & peccat, retinendo, nisi mutetur.

Postquam autem iam constitutus est in beneficio, ex officio suo ad multa tenetur.

Primò, si aliquid ei deest ad officium necessarium, tenetur, in quantum potest, curam adhibere, vt, si ignorans est discere, quæ necessaria superius diximus; si mala vita, se corrigat; si cognoscit se omninò inhabilem ad id agendum, tenetur renunciare, c. nisi cum pridem, de renunciatione.

Secundò, si duo habet curata, vnum intra sex menses, post Concil. istud Trid. numerandos relinquere, aliter, vtrumque ipso iure vacat. Quando autem curatum est pingue & sufficienter sustentare, peccatum esset, aliud simplex habere; nisi aliquibus causis excuseretur, propter quas multa simplicia beneficia potest habere, vt dicemus. Cum verò non sufficit decenter sustentationi, potest aliud simplex habere, cum dispensatione tamè Papæ. Duo tamen residentiam exigentia habere non potest iuxta decretum Concilij Tridentini sess. 24. cap. 17. de reformatione. Tenetur etiam Curatus intra duos menses post collationem, & acceptam possessionem, facere professionem in

anibus sui Episcopi, seu eius Vicarij, in qua iure publicè obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vt habetur in Concil. Trid. sess. 24. c. 12.

Tertiò, tenetur residere. Hæc autem residentia est sic intelligenda iuxta Concil. Trident. sess. 23. capit. 1. de reformatione, non potest abesse, alias perdit omnes redditus pro tempore absentia, vt dictum est de Episcopo. Quando autem abesse potest absque peccato, & pœna, debent conuenire quatuor conditiones.

Prima, vt sit rationabilis causa, qualem diximus de Episcopo.

Secunda, vt sit probata ab Episcopo talis causa, & in scriptis.

Tertiò, vt ad summum absentia sit per duos menses.

Quartò, vt hoc tempore ex redditib. beneficij illius prouideatur alicui, qui benè, & absque defectu suppleat locum alterius.

Rursus quartò, tenetur celebrare singulis diebus pro parochianis, non pro alijs, secundum Sotum, lib. 9. q. 3. art. 1. Hoc tamen intelligendum est, cum redditus decimarum pingues sunt. Crediderim tamen, sufficere celebrare Dominicis, & diebus festis, & aliquot etiã ex diebus alijs, licet non omnibus celebret. In hoc tamen multum consuetudo attendenda, & obseruanda est. Cum autem impeditus est, debet suis expensis alium substituere, qui pro eo celebret.

Rursus quintò, tenetur populo prædicare, vt habetur Sess. allegata 24. & docere populum doctrinam Christianam, & credenda necessaria, & peccata communia, & generales virtutes: quamuis non sit necessarium prædicare per se, si aliū constituat, qui prædicet. Hoc autem Dominicis, & festis faciendum est.

Sextò, tenetur ministrare Sacramenta, non solum tempore obligationis, sed etiam cum suscipiuntur ex deuotione.

Septimò, tenetur inquirere in parochia sua peccatores publicos, & vitia publica, & corrigere per se, vel Episcopo manifestare, & scire an singuli parochiani confiteantur, & communent in quadagesima, & audiant sacrum diebus festis.

Octauò, debet infirmos suæ parochiæ visitare, & scire an sacramento indigeant, quia periculosus est morbus, & debet ministrare, ipsosque ad suscipiendum exhortari, & ad faciendum testamenta, & alia Christiana opera. Et in hoc non exe-

qui officium, est grauissimum peccatum mortale. Mortem enim continget aliquem, & damnari, qui, si susciperet Sacramentum, saluus esset.

Tenetur nono, sepelire etiam pauperes suæ parochiæ, licet nullam inde eleemosynam speret, & illorum animas Deo commendare. Hæc sunt præcipua, ad quæ Curatus tenetur.

De quinto præcepto, & peccato se occidendi.

CAPVT VI.

Qvintum præceptum est, *Non occides*. Erga quod hæc tractanda sunt.

Primo, quid sit homicidium.

Secundo, quot sint differentiæ homicidij.

Tertio, quot modis contingat occidere.

Quarto, quando peccatum sit, & quomodo.

Quinto, quæ circumstantiæ sint in homicidio necessariæ confitendæ.

Sexto, quomodo præceptum hoc sit intelligendum.

Circa primum, facile potest ex ipsa nominis etymologia homicidium describi. Est enim hominis occisio: quamvis Theologi, non quamcumque occisionem hominis, vocent homicidium, sed quæ est cum peccato, vnde sic describi solet: *Homicidium est iniusta hominis occisio*. In iure autem tale homicidium, quod cum peccato fit, dicitur homicidium voluntarium.

Circa secundum nota, tria esse in homicidio, ex quorum singulis, ipsum diuidi possit. Est qui occiditur, & ex ista parte diuiditur in homicidium, quo quis se occidit, & quo occidit alium. Est etiam qui occidit, & ex ista parte diuiditur in homicidium, quo aliquis occidit ex intentione occidendi, & in homicidium, quod accidit absq; intentione, quod dicitur casuale. Est etiam ipsa occisio, & ex hac parte diuiditur homicidium, in id, quo immediate quis occidit, cum nempe adhibet ipsam actionem, quæ occisio dicitur, vt qui gladium transfigit per corda, immediate occidit; & in id, quo mediate quis occidit, nempe cum adhibet id, quod occidit, vt qui ministrat venenum, dicitur occidere, quia adhibet venenum, quod post occidit. Est igitur homicidium mediatum, & im-

Circa

Circa tertium aduerte, quinque modis posse aliquem occidere hominem, se, vel alium; facto, præcepto, consilio, permissione, auxilio. Facto occidit, qui adhibet actionem occisionis, parat, percutit, aut etiam applicat id, quod occidit, vt qui ministrat venenum. Præcepto, qui iubet alicui, vt alium facto occidat, vel faciat occidere. Consilio, qui ad hoc adhibet consiliū. Permissione, qui non impedit alterius occisionem, cum possit, & debeat. Auxilio, qui alterum iuuat ad occidendum: omnibus his modis occidere contingit.

Superest, vt erga quartum caput examinemus, quale peccatum sit occidere.

Incipiendo ergo ab homicidio, quo quis se occidit.

Sit prima conclusio, Occidere se immediate, & ex intentione, est mortale peccatum ex genere suo, & nisi excusetur indeliberatione aliqua, est verè mortale contra charitatem, qua quis tenetur se diligere; contra iustitiam, qua homo tenetur versus rem publicam, cuius pars est, & qua tenetur versus Deum, cuius creatura est, quocumque sine id fiat, vel ad vitandum maius malum, vel infamiam, vel propter peccatum commissum, vel propter peccatum, quod probabiliter timeatur, nullo modo vnquam id licet. Vide Sylu. verb. homicidium, l. §. 4. conclusio habetur 23. quæst. 5. can. si non licet, & can. placuit. In hoc enim præcipitur, ne oratio fiat pro occisore sui. Ratio autem est, quia homo non est dominus vitæ suæ, sed tantum custos. Non obstat, Sampsonem se occidisse, & aliquas virgines, hoc enim Spiritus sancti reuelatione factum esse tenendum est, vt docet Augustin. 3. de ciuitate Dei c. 17. per multa, vbi de hac materia loquitur. Non solum autem peccat qui se occidit, sed qui præcipit, vel consulit, vel iuuat, vel, cum possit facile prohibere, non prohibet: sunt enim isti suo modo homicidæ; & mortaliter peccant.

Secunda conclusio. Membrum aliquod immediate, & indeliberatione sibi abscindere, ex genere etiam suo mortale est, & qui se mutilat, si sacerdos, clericus, vel monachus est, incurrit excommunicationem, si quis suadente, vt dicit Ioan. Andr. Panorm. Felin. cap. cum contingit l. de sent. excomm. Vide Nauar. cap. 15. num. 11. dist. 35. can. si quis absciderit: Ioan. qui patrem. Hoc autem est, quia homo non est Dominus membrorum suorum, vt habetur l. liber homo, ff. ad legem Aquil. quamuis id fiat prætextu sanctitatis. Vnde,

abscin-

abscindere partes viriles ob castitatem, mortale peccatum est. Similiter aliquid bibere ad sterilitatem, vt scemina faciant, mortale est, quia se priuant potentia generatiua naturali. Peccant etiam illi alij, sicut in homicidio, consulendo, inuadendo, &c.

Licet tamen in duobus casibus membrum abscindere liceat.

Primò, ob sanitatē, vt qui abscindit manum putrefactam, vel aliud membrum.

Secundò, ob maius damnum vitandum: qui enim manum haberet veneno tactam viperæ, posset scindere, ne venenum cor comprimeret, & moreretur. Et hoc modo qui ab hostibus esset captus, & à quibus mortē speraret, nec posset eum detinere manum abscindendo, posset abscindere; Maior, 4. dist. 4. q. 2. dub. 1. & Sor. lib. 5. q. 2. art. 1. Dubium est, an teneatur potius membrum abscindi, aut sibi ipsi abscindere ad vitæ cōseruationem, quando aliter non potest. Soto lib. 5. q. 2. art. 1. dicit non teneatur. Est enim custos vitæ, quam non tenetur cum tanto labore cōseruare. Vnde, medicamenta difficillima non tenetur cōseruare. Est hoc etiam modo, si alicui daretur optio, vt, vel membrum aliquod sibi abscindere, ne ab alio occideretur, vel abscinderetur duplex membrum, posset sibi abscindere, vt Iosephus, 2. libro belli Iudaici, cap. 27. qui abscidit sibi manum dextram, ne vtraq; abscinderetur. Quamuis Sotus hoc non probet, lib. 5. q. 2. art. 10. Sed in vtroque casu eadem mihi videtur ratio, cum sit ad maius vitandum malum. Quid enim referat esse ligatum, aut constrictum à tyranno; vt, nisi manum abscindat, mors, vel maius sequatur malum?

Tertia conclusio, se occidere permissiuè, id est permissiuè se occidi, ex se etiam est peccatum mortale. Teneatur enim homo vitæ suæ cōsultare, in quantum potest, & debet.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus licet homini suam cōponere vitam, & permittere se occidi, & mori; imò aliquando ad id tenetur.

Primus est, in fidei defensionem. Si quis enim cogatur fidem negare, vel aliquod peccatum committere, sub poena mortis, tenetur mortem pati, etiam permittere se occidere, potius occidi, quam fidem negare, vel peccatum vllum admittere.

Secundus est, propter utilitatem totius reipubl. Vnde, si ciuitas esset circumdata ab hoste, vnus, quamuis innocuus, causa, & iste, si se offerret inimico, totam reipubl. liberaret à

morre, tenetur se offerre, & mori. Ita habet Sotus lib. 5. de iust. q. 1. art. 7.

Tertius est, ob amici liberationem. Possset enim aliquis vitam pro amico exponere. Sotus lib. 5. de iust. q. 1. art. 6. vbi etiã dicit, quòd si esset in mari, nec esset nisi vna tabula, possset non accipere, sed relinquere amico, non tamen possset dare. Sed ego vtrumque iudico esse par, & ita concedit Victor. rep. de homicid. num. 26. & similiter concedit de porrigente panem in extrema necessitate alteri, & Sot. lib. 5. q. 1. ar. 8. vbi dicit, aliquãdo teneri permittere se occidi potius, etiam ab iniusto inuasore, aliquando teneri se defendere, etiam occidendo, aliquando esse illi vtrumque liberum; vbi gratia, tenetur permittere se potius occidi in duobus casibus supradictis, & de porrigente panem in extrema necessitate. Alter est, si esset amicus capite damnatus, possset pœnam pro illo sustinere, & in bello, vel alio periculo oblato, pro ipso mortem subire, licet non tenetur ad id. Aliquando autem non liceret, cum ipse esset publica persona, & reipub. vel alijs multis utilis; non autem esset talis ille amicus: tunc enim teneretur se defendere. etiam occidendo.

Quartus est, ob bonum proximi: non enim solum pro amico, sed pro proximo potest quis mori, & se occidi permittere. Et hoc modo, qui inuaditur ab alio, nec potest fugere, licet possit occidere inuadentẽ, licet tamẽ ei (ne hostis in peccato moriatur) permittere se vinci, & occidi, dummodo etiam non sit talis persona, qualem diximus in tertio casu.

Quintus est, ratione iustitiæ: cum enim quis damnatus est morte, potest, & tenetur omnes actiones, quæ dispositiones sunt ad occisionem, exhibere, vt, si suspendi debet, ascendere scalam, & collum funi apponere, & alia, sed non potest se eijcere à scala, nec occidere, nec licet se defendere à iudice vulneribus, vel pugna, licet sit innocens. Vnum tamen licet, cum in carcere est, fugere si potest, licet iuste sit comprehensus. Immo potest rumpere vincula, & murum forare, seu frangere portam. Non tamen licet vlli nocere, teneturque restituere tantum quantum illa:um ex ruptura. licet tenet Sotus lib. 5. qu. 4. art. vlt. Caiet. 2. 2. qu. 69. & alij: quamuis aliqui contrarium putent. Sotus vult Caiet. quod alij possunt illi ministrare instrumenta, auxilia: Sotus tamen negat, & ita videtur negandum. Similiter qui damnatus est, vt inedia moriatur, potest cibos, si possit habere, sumere absque peccato. Immo Caiet. putat teneri ad

sumen-

sumendum si possit : tamen Soto loco allegato, putat non teneri, sed posse sententiã sustinere, sicut potest ille in carcere manere, & mortem expectare. Et hoc mihi ita videtur. Possit tamen illi aliquis cibos dare, nõ tamen tenetur ad id, sicut tenetur ad ministrandum ijs, qui sunt in extrema necessitate, ut dicit S. Thomas 2.2. q. 31. art. 3. Similiter, qui damnatus esset omnibus, posset se defendere ab illis, licet non teneatur se defendere. His omnibus casibus potest se quis occidi permittere.

Quarta conclusio, occidere se, mediate adhibendo, & aggrediendo ea, ex quibus mors certa, aut probabilis sequitur, peccatum est mortale ex genere suo. Excusatur autem ob tres causas.

Prima est iustitia: qui enim damnatus est tali morte, potest absque peccato id facere, ut, qui sumit venenũ, ita dicit Vinnius repet. de homic. num. 30. & 32. de militari arte, & nauigatione, in qua videtur homo exponere se periculo (licet Soto arguat posse sumere venenum) aut qui intrat domum leonum, cui tali est morte damnatus.

Secunda est probabilitas contraria, cum, licet sit fatum, ut mors sequatur, tamen in tali homine probabile est mortem non euenturam. Et sic, non peccant mortaliter in furem, & aggressores taurorum, cum sint exerciti in tali arte, ut habet Nauarr. cap. 15. & si aliquando accidat mors, non ob id mortale peccatum est, quia in illo fuit multum accidentalis.

Tertia est inaduertentia, ut qui se ita in abstinentiis maceratur, ut mors sequatur, si iste se occidere intenderet, absque dubio mortaliter peccaret, at si id non intendit, tamen adhibens, & cognoscit se occidi, etiam peccat, ut habet S. Thom. 2.2. q. 147. art. 1. cum tamen non aduertit, sed ex deuotione facit, non mortaliter peccat. Hæc igitur dicta sint de homicidio sui. Sequitur nunc ut dicamus de homicidio alterius, cum intentione occidendi: cum quis occidit, aut percutit alium cum voluntate, seu intentione occidendi, & percutiendi, & hoc peccatum est mortale, & graue, contra iustitiam, & contra charitatem proximi. Tribus autem causis potest excusari, iustitia, necessitate, inconsideratione.

In primis occidere hominem ex iustitia non est peccatum, imò est actus iustitiæ meritorius, si fiat, ut fieri debet. Fiet autem, si concurrant quinque conditiones, quarum vel una deficiente, mortale est peccatum.

Prima

Prima conditio est, vt sit ex auctoritate publica: cum enim occidere hominem licitum sit, ob bonum publicum, illius est habere facultatem occidendi, cuius est publicum bonum conferuare, qualis est Respub. Dux, vel Princeps, vel alij huiusmodi. Nullus igitur absque auctoritate publica, propria, vel commissa, potest occidere hominem, quamuis nocentissimū. Est autem mortale sic occidere, vnde peccat, qui inimicū, quamuis dignus sit morte, propria occidit auctoritate.

Est autem vnus casus, in quo licet priuato cuilibet occidere, cum puta, Tyrannus est in ciuitate aliqua, quem aliter non possunt ciues expellere. Ita habet S. Thomas 2. sent. dist. 44. q. 2. art. 2. & opusc. 20. de regim. princip. cap. 6. vbi dicit, non peccasse Brutum occidendo Cæsarem. Tamen aduerte, duplicem esse tyrannum, vnum potestate, & dominio, qui non habet titulum verum, sed tyrannicē occupat Rempubl. & hunc licet occidere, vt diximus, dum aliter non potest respub. liberari, & dum spes est probabilis libertatis; aliter, non licet priuato cuilibet occidere. Alterum tyrannum administratione, qui habet quidem verum titulum, sed tyrannicē tractat subditos, & hunc non licet absque publica auctoritate occidere, & asserere contrarium damnatur vt hæreticum in Concilio Constant. Sessio. 15. Non tamen ista damnatio de priori tyranno est intelligenda. Alius casus est, cum priuata persona habet auctoritatem publicam, & sic licet in bello iusto occidere, 23. q. 5. can. si homicidium: sic etiam licet bannitos occidere, quando respublica dat facultatem cuilibet; tamen vt dicit Sylu. verb. homicidium, l. 7. debet esse intra iurisdictionem illius reipublice: nam in alieno territorio non licet, nisi ex eius facultate expressa, aut tacita, aut probabiliter præsumpta: Non tamen licet marito occidere vxorem in adulterio comprehensam, 43. qu. 2. can. inter hæc: nam lex ciuilib, quæ non castigat, est permissiuatantum.

Secunda conditio, est causa: non licet enim hominem absque causa occidere; & non quauis, sed graui & pertinente ad bonum publicum. Vnde, causa leui occidere, graue peccatum est sine causa autem, est grauissimum: non enim licet innocentem occidere propter bonum reipublice. Vnde, si esset circumdara respublica, nec aliter liberari posset, nisi tradendo innocentem, non liceret morti eum tradere inimicorum manus, quamuis possit non defendere ipsum ob cōmune bonum, & ipse teneatur se tradere, vt supra diximus. Est tamen vnus

casus,

casus, in quo licet innocentem occidere, cum probatus est nocens: nam iudex secundum allegata, & probata procedere debet. Verum est, quod, cum iudex innocentiam cognoscere tenetur facere (vt dicit S. Thom. 2. 2. q. 64.) aliqua.

Primò diligenter se examinare testimonia. Secundo, si speret profuturum, remittere ad superiorem iudicem, & citari veritatem pro illo. Tertiò, differre sententiam, quantum fieri potest; imò si fieri posset absq; vllius damno, posset secundo dimittere à carcere.

Cum autem nihil horum fieri potest, imò si fieri posset, licet occidere, secundum communiorem sententiam. Nec mirum est in isto foro, innocentem pari: nam restat Dei forum, in quo omnis iniustitia castigatur, & iustitia primum non sequatur.

Tertia conditio, est etiam necessarius iuris ordo; damnare enim non seruato iuris ordine, est mortale, licet causa & autoritas sint. Hic autem ordo in tribus consistit.

Primò, vt ob peccatum occultum nullus occidatur. Notum enim Rex potest, absque graui peccato damnare nocentem occultum, sed opus est crimen esse notorium, aut sufficientibus testimonijs conuictum, aut propria rei confessione sponte facta pro palatum. Dixi autem, *sponte facta*, Nam si alicui absque iudicio, vel semiplena probatione, vel infamia notabili, daretur tortura, in qua confiteretur crimen, non esset omnino damnandus, & damnare est mortale, cum non sit sponte facta confessio: nam tortura violenta fuit. Dicitur autem violenta, quia absque causa fuit inflata. Imò peccant grauius iudices in eo, quod fraudulentis verbis, & promissionibus extorquerent crimina, quorum nullum habent indicium, aut semiplenam probationem; & ob talem damnare confessionem, peccatum grauissimum est.

Rursus secundo debet esse accusatio. Nisi enim crimen accusetur, non potest damnari nocens, nisi reperiretur in flagranti delicto: illic enim est virtualis accusatio, & testimonium.

Rursus tertio debet citari, & debet tempus tradere nocenti, vt respondeat; quamuis, vt dicit Sylu verb. homicidium, §. in aliquo casu, licet damnare nocentem inauditum, cum potest esse, nec aliter posset iustitia impleri. Debeat tamen semper esse testimonia, aut notorium crimen.

Vltimò hæc debet cura adhiberi, vt occidendo admittatur

confessio, & consolatio spiritualis, & oppositum facere, peccatum est, nisi cum res est repentina, nec aliter posset iustitia impleri: tunc enim sufficeret dare aliquod tempus, ut homo contereri posset.

Adhuc istæ tres non sufficiunt, sed est quarta conditio necessaria, animus rectus iudicis, non enim ex ira, vel inuidia, vel passione, sed ex zelo iustitiæ occidere debet: si enim occideret ex passione, quia nocens inimicus erat, quamuis alia contingeret, mortaliter peccaret. Hoc etiam idem dicendum est de ministris iustitiæ.

Quinta est necessaria conditio, ut homo non sit persona ecclesiastica; nam in maioribus ordinibus constitutum, non habens Papæ facultatem, peccat mortaliter occidendo, aut tamquam iudex, cap. clericis, ne cleri. vel mona. aut tamquam minister. In minoribus vero constitutum, ut habet Soto lib. 5. mortaliter non peccat, sed venialiter.

Hæc igitur est prima causa, ob quam licet hominem occidere cum voluntate occidendi.

Altera causa erat necessitas. Ob necessitatem enim licet absque publica auctoritate occidere. Hoc autem in quatuor casibus licet.

Primo, ad vitam defendendam, suam, vel amici, vel parentis, filij, vel coniuncti, ut habet gloss. Clem. vnic. de homici. Tamen hic contrahitur irregularitas, non autem ad sui defensionem, ut habet Glossa. Cum enim homo inuaditur ab inimico, si aliter non potest vitam conseruare, nisi occidendo illum, licet occidere, Clem. vnic. de homic. vbi habetur, quod tunc non fit irregularis, imò, si inuasus esset aliquis, qui sit persona publica, & multum utilis in Republica, tenetur vitam conseruare, & alium occidere. E contra aut, si inuasor esset persona multum publica, & necessaria in republica, potius inuasus debet se morti occidi, & tenetur, quam occidere. Cum tamen neuter occurrat casus, potest occidere, & potest etiam permittere se occidi, & hoc vltimum est magis meritorium. Hinc patet solutio illius casus, quem Soto non audeat determinare: si esset foemina a marito conclusa in cubiculo, a quo fugere non potest, liberque vir pugionem ad ipsam confodiendam, expectat tamen ut ipsa quiescat, an liceat vxori prauenire, & occidere viuum. Dico licere, & ratio est aperta: nam iam est inuasa, cum a marito conclusa est, & expectat paratus occidere; nã tunc non est tempus se defendendi, profecto nullum aliud erit;

& est simile de illo, qui præparat bombardam, vt alium occidat, sed ille aliam iam habet præparatam; profecto iudicium esset dicere, hunc debere expectare, vt ille præparet, & incipiat emittere, qui potest præuenire Ita etiam dicendum est de illa fœmina, si aliter non potest euadere.

Secundus casus est, ad honorem suum defendendum, sicut de Anan. c. suscepimus, de homicid. potest etiam alium occidere, vt habet Sylu. verb. homicidium 1. & communiter omnes docent. Ex quo fit, vt si nobilis inuasus possit vitam saluare fugiendo, non tenetur, (si inde infamiam contrahit) fugere sed occidere hostem potest, si aliter vitam cum honore tutam non potest. Similiter, si non potest fugere iniuriam nobilitati inferendam, vt ligni percussionem paratam, potest etiam occidere inimicum.

Sed duo hæc aduertenda sunt, primum est, hoc non licet omnibus, nisi nobilibus, & personis, qui suum tutari honorem maximè, obligantur, vnde nullus clericus, aut monachus potest in illis casibus occidere, sed tenetur fugere, aut talem iniuriam pati.

Secundum aduertendum est, post contractam iniuriam iam non licet occidere; id enim est se vindicare: solum autem licet ad vitandam infamiam, ne contrahatur: vt ligno percussus non potest absque peccato mortali occidere inimicum, & attende, quòd debet esse verus honor, & infamia: non enim debet mensurari hoc, nisi per existimationem hominum prudentium, & cordatorum.

Tertius casus est, ad tuendam rem, Caiet. 2. 2. q. 64. art. 7. & Anton. 3. part. tit. 4. c. 3. Cum enim aliter res haberi, & recuperari non potest, licet latronem occidere, non solum nocte, sed etiam die; si tamen spes esset recuperandi rem illam, non licet occidere. Hoc tamen non licet Ecclesiasticis personis, qui potius debent bonorum iacturam pati, quàm occidere, vt habet Panor. c. suscepimus, de homicid. In eod. c. id habetur de monacho. *Satius, inquit, est post tunicam relinquere pallium, quàm pro rebus transitorijs, tam acerbe in alium exardescere, his enim licet tantum occidere ob vitam saluandam.*

Quartus casus est, ob castitatem. Posset enim fœmina, aut iuuenis, obseruandam castitatem occidere inuasorem, cum aliter se defendere non potest. Notandum tamen est, quòd quamuis ab alio superetur, si non consentiat interius in actu turpi, non peccat, nec virginitatem amittit, si virgo erat. Vnde

Sylu.

Sicut verb. homicid. §. dicit, quod potest non occidere, quamvis possit: sed pati se corrumperet, dum consensum cohibeat in deliberatione: tamen, quia periculosum est hoc, securius esset occidere, si possit, illudque remedium sumendum est, cum aliud non occurrit.

Tertia causa est inconsideratio. Cum enim aliquis motu repentino correptus, adeo, ut non sit rationis compos, alterum occidit, a peccato mortali liber est: tamen raro evenit hoc, quia homicidium non ita fit repente, quin homo possit deliberatione uti: si quando tamen ita occideret, non esset mortale, nisi consensus in facto post sequatur.

Hæc igitur sunt circa homicidium cum intentione occidendi.

Aduertendum tamen, non semper licere ob vitæ propriæ defensionem alium occidere: in duello enim iniusto, peccat mortaliter, qui alterum occidit. Dico iniusto, quia aliquando licitum est: ob sedandum enim aliquos exercitus contrarios, licet pugnam ad duos reducere: similiter, cum aliquis cogitur sub vitæ periculo aggredi duellum. Cetera tamen sunt impiissima, & peccatum graue mortale, de quibus Concil. Trid. sess. 23. c. 19. sanctissime quatuor instituit.

Primum, excommunicat omnes Imperatores, Reges, Marchiones, Duces, & Dominos, qui in suis terris facultatem faciunt duelli; & non solum excommunicat lata sententia, sed priuat dominio locorum, ita ut, si sunt loca Ecclesiæ, recurrant ad ipsam, si autem feudalia, recurrant ad Dominos.

Secundo, excommunicat ipso iure patrilios, & præscriptionis omnium bonorum eorum, & perpetuæ infamiæ pœnam infligit.

Tertio excommunicat ipsos pugnantes, & infligit eandem procriptionis, & perpetuæ infamiæ pœnam, & in pugna occisos priuat ecclesiastica sepultura.

Quarta, spectatores omnes excommunicat; & tandem hi omnes mortaliter peccant. Aduerte rursus, non solum, qui occidit peccare, sed qui consulit, præcipit, iuuat, fauet auxiliatur, ut supra diximus.

De homicidio sine intentione.

CAPVT VII.

Diximus de homicidio sui, & de homicidio alterius cum intentione occidendi, superest, vt de homicidio alterius absque intentione dicamus. Hoc autem aliquando est cum mortali, aliquando cum veniali peccato, aliquando sine vilo peccato: in cuius declaratione distinctio est notanda, dupliciter posse aliquem alium occidere, non intendendo ipsum occidere: vno modo, ipsum verè occidendo, quod aliqui vocant per excessum: altero modo, omitendo aliquid facere ex cuius omissione sequitur mors alterius. Erga peccatorem modum sunt duæ regulæ, erga posteriorem aliter dicunturque numero quatuor obseruandæ, pro cognitione periculorum.

Prima regula est, qui, faciens aliquem actum licitum, occidit præter intentionem alium, peccat magis, vel minus, iuxta negligentiam maiorem, vel minorem, quam adhibuit, ne occisio aliqua sequeretur: vbi autem nulla fuit negligentia, nullum est peccatum: verbi gratia, aliquis nobilis venatur feras, & proiciens sagittam, vel emittens bombardam occidit hominem, in hoc casu actus venandi licitus est nobili seculari considerandum est, an fecit diligentiam aliquam ne casu alium occideret; si fecit, non peccauit occidendo; si non fecit, peccauit pro quantitate negligentia. Est autem pensanda negligentia, aut diligentia, iuxta periculum maius, vel minus: enim locus venationis erat peruius, per quem multi transiunt solent, ipse autem nullam, vel paruam fecit diligentiam, vis bombardam, peccatum est mortale; si tamen locus erat desertus, & ipse parum diligentia adhibuit, est veniale. Rursum, aliquis tectum construens proiecit lapides in via, si talis signum habet, vt transeuntes sibi caueant, si fortè occidat aliquem, non peccat; si tamen nulla vtitur diligentia, siue parua, cum locus sit nimis peruius, peccatum est mortale. Rursum, qui dormiens in lecto cum infante, suffocat ipsum, si non prius fecit diligentiam, maxime cum cognosceret, se per lectum multum volutari, peccat mortaliter. Est autem ista diligentia adhibenda, cum actus periculosus est mortaliter loquendo: cum autem non est, aut parua est, nulla, aut parua requiritur diligentia.

Secun-

Secunda regula, qui faciens actum illicitum: aliquem præ intentionem, occidit, etiam post diligentiam adhibitam, peccat. Peccatum autem tantum est, quantum est actus illicitus, quem faciebat: verbi gratia, clericus venatur bombardam feram, & casu occidit hominem, peccat mortaliter; quia sic venari clerico interdictum est, & est mortale, unde in clerico est peccatum, quod nullum esset in sæculari. Similiter, qui pugnat cum aliquo, animo non occidendi, & in pugna occidit, peccat mortaliter, si pugna illa peccatum mortale erat: cum vero veniale, quia pugna leuis erat, venialiter peccat. Similiter, peccat ebrius, qui in ebrietate occidit aliquem, si sciebat se furere in ebrietate, & sibi non providit: est enim notandum unum cum Sor. o lib. quæst. 1. art. 9. quod non quicumque actus illicitus, ex quo sequitur homicidium, facit culpam homicidii, sed illicitus actus, in quo est periculum alterum occidendi: si enim nullum sit, tunc non reputatur pro illicito, quantum ad homicidium: unde, qui arborem alienam conscendit, gratia capiendi fructus, si casu cadat supra alium, & occidat, non ob id peccat homicidio, quia talis ascensus moraliter non sic erat periculosus.

Tertia regula: qui omittens aliquid, quod ex iustitia tenebatur facere, est in causa ut alterius mors sequatur, peccat tantum peccatum, quanta est omissio illa, verb. grat. sunt latrones in terris alicuius Principis, qui occidunt & spoliant omnes viatores, si talis princeps non providet, & procurat, cum possit, illos expellere, si forte postea occidantur aliqui, peccat in illis occisionibus, & mortaliter, quia omissio gravis erat.

Secundo, iudex tenetur noctu visitare civitatem; si non videret, & casu aliquis ob id occidatur, peccat. Si omissio illa venialis erat, puta quia fuerat illa solum nocte, & nullum timebatur periculum, venialis illi erit culpa homicidii: si verò periculum grave erat, quia in illa civitate homines erant multum periculi, & inuicem inimici, mortale est.

Tertio, aduocati, qui sua culpa non considerant causam innocentis, & ob id innocens morte damnatur, peccant mortaliter, si culpa notabilis est; nec excusantur ignorantia, quia tenentur scire, aliter non uti officio, vel tales non admittuntur causas.

Quarto, si medicus ignorans sit, & sua notabili culpa infirmus moriatur, peccat mortaliter, quia tenetur scire, sicut Prin-

cipes, & Iudices non excusantur, ignorantis pericula locorum, qui indagare tenentur.

Quinto peccat dominus, qui habet leones domi, & non providet ne noceant alijs.

Sexto, peccant parentes, qui filijs parvulis permittunt arma, cognoscendo eos esse superbos, & iracundos; non enim excusantur à peccato homicidij, si aliquid sequatur.

Denique qui dominium, vel potestatem habent aliquam supra alios, tenentur providere, ut, ubi est periculum homicidij, non committatur, alias peccant pro ratione omissionis, & est peccatum contra iustitiam.

Quarta regula, qui omittens aliquid, ad quod ex charitate tenebatur, & ex tali omissione alter obit, vel occiditur, peccat iuxta gravitatem omissionis. Verbi gratia, qui alteri in extrema necessitate posito vitæ non succurrit, cum possit, mortaliter peccat, & si illa moriatur, peccat mortale peccatum homicidij.

Rursus, qui scit aliquem falsò accusatum morti inculpabiliter adjudicari, si ipse testificando verum potest liberare eum, tenetur sub mortali testificari: & si ille post patitur mortem, peccat mortaliter non testificando, quamvis accusator puniturus esset damnus ex tali testimonio; dummodò non sciat id in confessione; tunc enim tacere debet.

Eodem modo, qui scit insidias contra aliquem paratas, tenetur, ut potest, illum liberare eum admonendo, ut sibi caveat; & nisi id faciat, peccat, si ille occidatur: & ista sunt homicidia, & peccat contra Charitatem. Ad has quatuor regulas reducuntur omnia ista, quæ pertinent ad homicidium sine intentione occidendi.

De circumstantijs homicidij.

CAPVT VIII.

EX sex, quæ de homicidio tractanda proposuimus, quatuor absolvimus: nunc quintum aggredi oportet, puta, circumstantias homicidij, vel percussionis in confessione exprimendas. Quarum prima est in persona occisa, aut percussa. Septem enim sunt genera personarum, quas exprimere oportet.

Primum

Primum est earum, quæ sunt cum occidente sanguine con-
iunctæ; ut, si occisus fuerit frater, pater, mater, vxor, filius, &
huiusmodi qui notabiliter sunt coniuncti.

Secundum est Clericorum, seu monachorū. Qui enim per-
cussis, vel occidit Clericum, vel monachum, non solum pec-
cat mortaliter, sed sententiam excommunicationis incurrit,
17. q. 4. c. si quis suadente, vbi nota quatuor.

Primum est, per occidentem, vel percutientem, non solum
esse intelligendum sæcularem, sed quemcumq; Ecclesiasticū:
nam etiam talis incurrit excommunicationem.

Rursus secundo, per monachum percussum intelligas pro-
fessum, & nouitium, & conuersum cuiuscumque Religionis
approbatæ. Similiter per Clericum, intellige, non solum in
maioribus constitutum, sed etiam primam tonsuram haben-
tem, quamuis sit coniugatus, dum duxerit virginem, & portet
habitum, & tonsuram, alias perdit priuilegium.

Tertio, per violentam manus impositionem intellige, non
solum occisionem, vel percussionem, sed verberationē, muti-
lationem, pugnum, alapam, vestium dilacerationem, lapidis
percussionem, & alia huiusmodi. Per tales enim actus incurritur
excommunicatio.

Quarto, ista excommunicatio Papæ reseruatur, nisi cū per-
cutiens est infra decimum quartum annum; tunc enim ad E-
piscopum pertinet: similiter cū est senex, infirmus, pauper,
vel absque vitæ periculo, & notabili incommodo, non potest
Romam venire: tunc enim reseruatur Episcopo. Cū autem
Clerici simul viuentes se percutiunt, si leuis est percussio, vt
pugnis, vel alapa, ad Episcopum pertinet, aliter ad Pa-
pam.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus absque excommunica-
tione potest quis percutere Clericum.

Primo cū fit ioco.

Secundo, cū fit causa correctionis, vt faciunt magistri, &
superiores.

Tertio, cū ignorabatur esse Clericus, c. si verò, 2. de sent.
excomm.

Quarto, cū licet esset cognitus, tamen reperitur in flagrati
delicto, cum matre, vel vxore, vel filia, sorore, vel nepte alicu-
ius, tūc, si occidatur ab isto, peccatum quidem est mortale, sed
non est excommunicatio, c. si verò, 1. de sent. excomm. vt ha-
bet gl. can. si quis suadente.

Quintò, cum percussio ita est leuis, vt solum sit veniale peccatum: nam excommunicatio maior est propter mortale.

Sextò, cum occiditur à quolibet alio, in illis vero casibus, in quibus diximus liceret alicui alium occidere, cap. si vero, allegato.

Tertium genus, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum; Hos enim occidere, mutilare, percutere, verberare, capere, incarcerare, detinere, aut talia mandare, peccatum est, cum excommunicatione in cœna reservata. Quæ intelligenda est, cum tales consecrati sunt, aliàs non: quamuis sint electi, & in possessione Episcopatus: erit enim tantum excommunicatio Papalis, sicut præcedens, ratione clericatus. Hoc autem fuit ius antiquum, capit. si quis suadente, de pœnis, in Clem. vbi excommunicantur etiam, qui bannunt Episcopos; imò vltra mandantes illos actus dictos, excommunicantur consules, comitantes, fauentes, defendentes, & factum ratificantes: sed ista excommunicatio non est in cœna, sed solum Papalis.

Quartum genus personarum, sunt Cardinales, qui Episcopi non sunt. Hos hostiliter insequi, capere, aut percutere, aut talia mandare, non solum est mortale peccatum, sed excommunicationi subiectum, quod reservatur Pontifici, c. si quis, de pœnis, in tex. vbi contra tales multa aliæ imponuntur pœnæ. Excommunicantur etiam dantes in hoc consilium, & factum ratificantes, cooperantes, fauentes, aut eos defendentes, qui talia faciunt. Ista tamen excommunicatio non est in cœna, sed tantum Papalis.

Quintum genus personarum sunt, qui causa negotiorum in curiam Romanam veniunt, & qui in ea hac causa morantur, & negotiorum gestorum Notarij, Procuratores, Iudices, Aduocati, & Auditores: hos enim occasione causarum verberare, mutilare, occidere, aut bonis spoliare, per se, vel per alios peccatum est excommunicationi cœnæ suppositum.

Sextum genus personarum, sunt venientes ad Sedem Apostolicam, aut ab ea recedentes: hos enim propria temeritate occidere, capere, detinere, aut spoliare, verberare, mutilare, aut contra in ea vrbe habitantes ista absque Apostolica auctoritate faceret, aut præcipere, est peccatum in eiusdem cœnæ excommunicatione contentum, dum modo ista ex proposito delibero fiant, id est, ex præmeditato.

Septimum genus sunt personæ, ex quarum percussione, aut

occi-

occisione alij damnum in re temporali patiuntur, aut ipsa-
mer: tunc enim manifestanda sunt, vt restitutio à Confessario
imponatur. Vnde, qui occidit seruum alterius, confiteri debet
quia ad restitutionem pecuniæ æquivalentis tenetur. Simili-
ter, qui mutilat seruum alterius, obligatur restituere damnum
quod dominus ex tali mutilatione incurrit. Similiter, qui oc-
cidit aut mutilat aliquem, qui suo labore familiam alebat; te-
netur restituere & reddere damnum. De hoc latius dicemus in
materia de restitutione. Si tamen is, qui occidit vel percutit ta-
les, fecit restitutionem, non obligatur personam percussam,
vel occisam manifestare.

Hæc sunt quantum ad circumstantiam obiecti. Sunt tamen
aliqua noranda.

Primum est, quando aliqua excommunicatio in iure poni-
tur pro percussione, vel homicidio, vel aliquo peccato, non est
extendenda, nisi ad illas personas, quæ talis peccati sunt partici-
pes, eo modo, qui exprimitur in tali excommunicatione, v.g.
in clerici percussione, excommunicatio posita est contra vio-
lentas imponentes manus, & non alios. Hinc fit, vt qui iuuat,
qui præcipiunt, qui consulunt, licet mortaliter peccent, tamẽ
excommunicati non sint ex vi illius capituli, *si quis suadente*.
Sunt tamen excommunicati per alia capitula, in quibus ista
exprimuntur, puta, capitulum, mulieres. & cap. quantæ, de sen-
ten. excom. & cap. cum quis, de sent. excom. in 6.

Rursus, peccatum, propter quod imponitur, est impositio
violentiæ manus. Quando igitur aliquis vult tantum mente
inertius manus imponere, vel procurat, vel projicit sagittam,
sed non percutit, mortaliter peccat, tamen non est excom-
municatus.

Rursus, in percussione Episcopi, non solum excommuni-
catio est contra percipientes, sed contra mandantes, consulen-
tes, &c. Omnes hi excommunicationem incurrunt; dum tamẽ
percussionis peccatum sequatur, aliter non, licet præcipiant,
consulant, & alia faciant.

Norandum est secundo, percussorem clericum inducere ex-
communicationem, cum ab alio est. Cum enim aliquis se mu-
tilat: aut percutit, etiam causa odij, quamuis peccet mortaliter,
tam notabilis est percussio, tamen non est excommunicatus.
Contrarium tenet Nauarr. cap. 15. num. 11. sed profecto absque
causa; nam non aliunde contrahitur ista excommuni-
catio, nisi per illud caput, *si quis suadente*: ac tale caput lo-

quitur de tertia persona, nec sunt amplianda poena ista.

Altera circumstantia in confessione manifesta est, locus: cum enim sacer est, peccatum mutat speciem, & dicitur sacrilegium. Atq; hæc est vna causa, propter quam Ecclesia polluitur. Sunt enim quinque causæ, propter quas polluitur Ecclesia, ita vt in ea non liceat celebrare.

Prima est, iniuriosa sanguinis effusio. Cum enim sanguis in Ecclesia spargitur ex vulnere, non ioco, non ob correctionem incusso, sed iniuriosè est Ecclesia polluta, dum modo sit aliqua sanguinis copia, & nõ à puero ante usum rationis perfecta, vel ab ebrio vel infano sit facta: tunc enim non est Ecclesia polluta. Similiter non esset, si quis ob sui defensionem vulnus incuteret. Notandum tamen, quòd polluta esset Ecclesia, si in ea vulnus infligeretur, quamuis sanguis in valeret, pereretur, vel percussus ita citò extraheretur, vt sanguis in Ecclesia non caderet. Non esset tamen polluta, si extra Ecclesiam percussus confugeret in ipsam, & ibi sanguis spargeretur. Nec sufficit percussio ad pollutionem, nisi sequatur sanguis, quamuis sufficeret mors sine sanguine, vt strangulatio, suspensio, & cetera. Cum autem Ecclesia polluta est, etiam ceterum est pollutum, non autem è contra.

Secunda causa ob quam polluitur Ecclesia, est humani feminis pollutio voluntaria: non enim per nocturnas pollutiones, quæ in somnis fiunt, polluitur, sed debet esse voluntaria, siue fiat secundum naturam, siue contra, siue illicito contractu, siue licito, quale est coniugium; hoc enim etiam polluit. Notandum tamen, vt pollutio hæc sit causa, debet esse publica, & notoria apud multos: si enim secreta est, cuius notitia apud paucissimos est, non est polluta Ecclesia.

Tertia causa est, cum excommunicatus in ea sepelitur de consecr. Eccles. cap. consulisti.

Quarta, cum sepelitur aliquis infidelis, vt habetur in cap. Ecclesiam i. de consecr. dist. 1. Et in hoc casu oportet parietes Ecclesie radere.

Quinta causa est, cum consecratur Ecclesia ab Episcopo publicè excommunicato, vt habetur cap. consulisti, allegato. His causis polluta est Ecclesia qua scienter celebrare peccatum est mortale: nulla tamen irregularitas aut excommunicatio incurritur, vt habetur in cap. is, qui, de sent. excom. in vi. Gloss. tamen eod. cap. tenet esse suspensum, qui in tali Ecclesia celebrat, ab ingressu Ecclesie, ita vt, si post suspensionem cele-

bre,

bret, fiat irregularis, & videtur consentire Sylu. verb. consecratio. 2. in fine.

Huic sententiæ videtur fauere caput, Episcoporum. de priuilegiis. in 6. nisi velimus restringere hoc caput ad loca interdicta: nam ibi non dicitur, de pollutis, sed de interdictis, & hoc videtur magis consonum. Nam in cap. illo citato (is, qui) tantum dicitur, quod temerariè agunt celebrantes in polluta Ecclesia, & statim celebranti in interdicto loco infligitur pœna irregularitatis. Cum autem polluta est Ecclesia, si consecrata erat, est reconcilianda ab Episcopo, etiam cum aqua ab Episcopo benedicta, siue ab eodem, qui prius consecrauit benedicta, siue ab alio. Cum autem tantum est Ecclesia benedicta, & non consecrata, reconciliatio fieri potest per sacerdotem, cum aqua ab Episcopo benedicta.

Tertia circumstantia in confessione dicenda; est, si per se, vel cum alijs occidit aut percussit. Si enim cum alijs manifestare oportet, an illos ad tale auxilium & factum sollicitauerit & conuocauerit: tunc enim mortaliter peccat, & tot committit peccata, quot fecit peccare, sollicitando ad malum.

Quarta circumstantia est, tempus; in quo decreuit committere. Si enim multum temporis perseuerauit in tali proposito, vix excusatur à multis peccatis, quæ committuntur in multiplicatis volitionibus occidendi, vel percutiendi. Hæ sunt circumstantiæ erga hoc peccatum.

De intellectu præcepti, non occidendi.

CAPVT IX.

Hoc est vltimum caput ex sex, quæ tractanda de homicidio proposuimus. In hoc igitur præcepto, *non occides*, Exod. 20. prout à Domino, Matthæi 5. exponitur, quinque prohibentur.

Primum est, ipsum nocumentum corporale, vt occidere, mutilare, percutere, verberare, torquere, incarcerare, aliaq; similia nocumenta; & ad iniuriam pertinentia, vt spuerè, arundine percutere, &c.

Secundo prohibentur omnes præparaciones, & dispositiones ad similes actus, vt gladium quarere percutiendi causa, inimicum obseruare, coniurare, id est, multos sub iuramento

vel

vel fide aliqua colligere in occisionem, vel nocumentum alicuius, & alia his similia.

Tertio, prohibentur contumeliae, & conuicia, quae sunt verbo, aut signo aliquo. In cuius gratiam aduerte, conuicium esse inhonorationem alicuius per verba, aut signa denotantur malum poenae, aut malum culpa: vt cum dicitur alicui, latro, fur, mendax, &c. Haec enim ad malum culpae pertinent: similiter, cum dicitur, stulte, insensate, caece, fili illegitime, &c. haec ad malum poenae spectant. Ista igitur cum contemptu, siue verbo, siue nutu, vel litera, vel signo alteri obijcere, conuicium est. Contumelia autem proprie est de malo culpae, vt cum dicitur, latro, mendax; &c. Hoc igitur peccatum de genere suo est mortale, & si est notabilis iniuria, est verè mortale, siue dicatur cum animo inhonorandi, siue sine illo, sed tantum cum ira, dummodò sit deliberatio, & verbum sit notabiliter iniuriosum.

Sunt tamen casus aliqui, in quibus non est mortale.

Primus est, cum deest plena deliberatio, vt cum quis repentina ira correptus, profert verbum contumeliosum; tamen si non erat omnino deliberatio, non esset mortale, nisi postea actum confirmaret.

Secundus est, cum, licet ad sit deliberatio, tamen iniuria leuis est.

Tertius, cum adest deliberatio, & iniuria magna est, sed fit ioco.

Quartus, cum, licet non fiat ioco, tamen fit inter personas parui momenti, vt inter mulierculas, quae saepe rixari solent, & multa conuicia inuicem iaculari, aut inter seruos, & famulos.

Quintus, cum fit gratia correctionis. Magister enim sic loquitur cum discipulo, & dominus cum seruo, & pater cum filio, superior cum inferiori. Sic dominus vocauit stultos Discipulos, & Paulus Galatas insensatos; sed tunc debet esse gratia correctionis, alias peccatum esset, & modus est seruandus. Nam non licet superiori iaculari conuicia in inferiorem, ac si esset seruus: immò si esset persona honorata, quamuis esset a confilij alicuius potentis, si aliquod magnum conuicium ab eodem potente ei inferretur, mortale esset peccatum, si animus adest inhonorandi.

Quarto, prohibentur in isto praecipio motus animi interioris deliberati, vt mortem velle alicui, vel malum tempore

rale

rale. Qui enim mortem sibi vel alteri extra casus licitos appetit, animo deliberato, mortaliter peccat.

Quintò, prohibentur omnes consortes in tali peccato, qui sunt nouem, conclusi in his versibus,

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstitans, non manifestans.*

Iussio, qui præcipit; *consilium*, qui consulit; *consensus*, qui factum ratificat, vel ut fiat, probat; *palpo*, qui factum laudat, vel ut fiat, laudat; *rursus*, qui defendit homicidium, vel defensionem promittit; *participans*, qui iuuat ad factum; *mutus*, qui non præmonet occidendum, vel percutiendum, cum potest & debet; *non obstitans*, qui non prohibet, cum possit, & debeat; *non manifestans*, qui veritatem innocentis non ostendit, ne damnetur, cum possit & debeat. Omnes hi peccant contra istud præceptum.

De sexto præcepto: De simplici fornicatione.

CAPVT X.

SExtum præceptum habetur Exodi 20. *Non mechaberis*: Erga quod quatuor sunt consideranda. Primum est, quid fornicatio sit. Secundo, quot eius species. Tertiò, quale peccatum. Quarto, quæ in hoc præcepto prohibeantur.

Circa primum, si vis vocabuli consideretur, fornicari, est rem cum meretricibus habere: descendit enim à nomine fornicis, quod significat loca quædam concamerata ad modum arcus, in quibus meretrices se prostituere solebant. Quamuis autem ista sit vis vocabuli, tamè verbum latius patet apud Theologos, & Iuristas, & significat actum illicitum venereum, quomodo fiat; sicut etiam extenditur verbum, mœchari: nam proprie tantum significat adulterari. Est igitur fornicatio sic vniuersaliter sumpta, humanus concubitus illicitus. Voco *humanus*, quia concubitus aliorum inter se animalium, non dicitur fornicatio; immò nec quicumque humanus, nisi qui cum peccato sit, ob id dicitur, *illicitus*.

Huius septem possunt describi species, simplex fornicatio, raprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, peccatum contra naturam: quarum singulæ suo sunt ordine explicandæ. Est igitur simplex fornicatio, concubitus soluti cum soluta.

Voco

Voco solutum, simplicem hominem, qui non habet *uicium* conjugati, nec clerici, nec religionis, nec uotum, sed est simplex homo. Voco solutam similem foeminam, quae iam non sit uirginitatem. Horum concubitus fornicatio simplex dicitur. Esse autem peccatum mortale, adeo certa res est, ut oppositum pertinaciter asserere, sit haereticum, ut definitum est in Clem. ad nostrum. de haeret. & habetur Eph. 5. *Omnia fornicatio non habet hereditatem in regno Christi.* Neque excusatur uisus ignorantia; nam est naturale praecipuum, in quo non habet locum ignorantia, sicut nec in homicidio. Ratio autem quare peccatum sit, ea est, quia est contra finem, propter quem Deus humanum concubitus concessit; qui quidem non solum est multiplicatio filiorum, sed eorundem sustentatio & educatio, quae fieri non possunt, nisi certum patrem & determinatum habeant, quod per matrimonium fit. In fornicatione enim non est pater determinatus. Est autem hoc adeo naturae conformiter, ut inter bruta, cum filij ut nascantur, opera masculorum indigent, numquam foemina cum pluribus, sed cum uno tantum coeat. Est igitur fornicatio contra finem a Deo praestitutum, & ob id mortale. Dicit autem S. Tho. 4. sent. dist. 33. art. 4. in fornicatione grauius peccare marem quam foeminam, nam maioris usu rationis viget, quamuis in adulterio magis peccet foemina, quia plura damna facit. Nam foemina adulterum proponit filios adulterij, qui damnum inferunt legitimis, ut postea dicemus, quod non est in viro, in quo aperte cognoscitur filij adulterij. Hoc autem regulariter est intelligendum; nam aliquando potest foemina plus vigere secundum rationis usum, grauiusque peccare.

Quamuis autem sit mortale peccatum fornicatio, in duobus tamen casibus potest non esse peccatum.

Primus est, cum deficit usus rationis, ut si amens, qui non habet iudicium rationis coiret, tunc non peccaret, sicut nec occidendo, nec committendo alia. Similiter si ebrius non compos rationis id faceret non peccaret; & sic a peccato excusatur Loch, Gen. 19. *qui ebrius cum filiabus duabus concubuit, ipsas enim accipientibus.* Si tamen ebrius periculum tale probabiliter cognosceret, & non sibi ante ebrietatem prouideret, a peccato non excusaretur.

Alter casus est, ex parte patientis, cum cogitur quis: ut si foemina comprehensa cogeretur ad talem actum, dummodo ista interius non consentiret actui, quamuis pateretur ab al-

iro, & sentiret etiã delectationem, non peccaret. Sed hoc non habet locum ex parte agentis. Nam agens absq; consensu non agit. In consensu autẽ est mortale: nec excusatur propter mortis periculum vel metum: nam quamuis passurus esset mille mortes, & liberaturus esset mille vitas aliorum, numquam licet ex consensu fornicari. Ad hoc peccatum reducitur concubinatus solui cum soluta; non enim est aliud concubinatus, quam fornicatio continuata cum soluta, determinata, ita vt sit velut cohabitatio quãdam, ac si matrimonio coniuncta esset. Est autem hoc graue peccatum & periculosum, quia homo non solum peccat, sed manet in statu peccati, & in continuo proposito (saltem virtuali) peccãdi. Vnde, tales nullo modo sunt absoluendi, quin primum eiciant concubinas, quamuis in mortis articulo sint, nisi vrgeat mors, vt tempus desit, tũc sufficeret propositum. Extra talem articulum primò sunt eiciendæ: quòd si domi non habet, aliqua est experientia sumenda de illius continentia ante absolutionem, præsertim si sæpè proposuit se contetutum, & non continuit, nec tam perfecta contritio in eo apparet. Contra concubinarios Concil. Trid. 24. sess. c. 8. determinat, vt ab Episcopo concubinarij ter admonentur, & nisi resipuerint, excommunicentur, & si in excommunicatione per annum perseuerauerint, castigentur & puniantur ab Episcopo: Concubina autem ter admonentur, & nisi resipuerint, eiciantur à ciuitate, & si videtur Episcopo, extra dioccesim, inuocato ad hoc brachio sæculari, si opus fuerit.

De adulterio, & stupro.

CAPVT XL.

Stuprum, est virginis fœminæ desfloratio: cum vir primò desfloratur: non dicitur stuprũ, sed tantum cum fœmina. Est autẽ grauius peccatũ simplici fornicatione, quia habet totam malitiam fornicationis, & aliquid amplius, pũcturam ablationem signaculi virginalis, & constituit fœminam in periculo grandi deinceps peccandi. Obligat autem stuprum aliquando ad restitutionem: cum enim quis virginem rapit violentia, vel importunis precibus, tenetur illam ducere aut dotare, cap. si seduxerit, extr. de adul. & cap. peruenit, extr. de adul. Si autem peruenit alteri nubere ita honoratè, ac si esset virgo: Si autem falsis persuasionibus ipsam deceptit, ad idem tenetur. Si

rursus

rursus promisit illam ducere, aut cum iuramento, aut sine illo, quamuis interius non intenderit illam ducere, tenetur tamen sub mortali ducere, si pater illius voluerit, aut ipsa duxerit, noluerit, tenetur dotare. Quod si esset inaequalis sortis, quia est inferioris conditionis, sufficeret dotare, de 2. par. tit. 2. cap. 1. §. 1. Idem; fiet, cum, qui promisit, etiam conjugatus, aut habebat ordinem sacerdotum. Immo vult N. c. 16. nu. 18. quod, quamuis vere promiserit, & possit ducere, tamen timeretur aliquod graue scandalum, sufficit dotare. Quando verò virgo non decepta, nec coacta est, sed sponte sensit & accepit, tunc non est obligatio ad restituendum ex iustitia, esset tamen ex charitate, cum persona nimis est opteas, & foemina pauper, vt timeat periculum perdicionis filii. Hæc dicta sint de stupro.

Adulterium autem tripliciter fit. Est enim illicitus cum coniugato concubitus. Primus est coniugatus cum soluta. Secundus coniugatus cum soluto. Tertius, coniugatus cum coniugato, & conuerso. Est autem peccatum morale grauius stupro, quia noua malitia inuenitur in eo, maius damnum filiorum legitimum, & fidelitatis matrimonialis peruersio. Aliquos autem cum stupro coniungitur, vt cum coniugatus remiserit cum virgine.

Erga adulterium aliquot sunt aduertenda.

Primum est, esse grauem quandam difficultatē apud Theologos. 4. sen. d. 13. & Canonistas, e. officij, de poenit. & reuel. an adultera habens filium adulteri, & legitimos, tenetur reuelare factum, ne hereditas obtineat illi, & damnum legitimi patiantur. In qua difficultate aliqua sunt, in quibus conueniunt.

Primum est, si adultera habet aliqua bona propria, & que possit quibus velit applicare, & his potest satisfacere ad damnum, non tenetur reuelare, sed debet satisfacere ad legitimis, applicando illis tanta bona, in quam is damnatur per filium spurium.

Secundo, si nulla habet talia bona, aut habet, sed insufficientia, si non sperat probabiliter se quicquam profuturam, quia non crederetur a filio spurio, nec presentia marito (quia isti, vt dicemus post, non tenentur ei credere, nec ea non tenetur reuelare, sed relinquere, & in talibus casibus est absolueda.

Tertio, si sperat se profuturam, quia creditur, vel quia illa

abie indicia, ut illi credere teneantur, si nullum est vitæ, aut
 publicæ infamiæ periculum, tenetur id manifestare, ne legiti-
 mi filij, aut hæredes: si filij non sunt, damnificentur: & in his
 casibus omnes concordant. At difficultas est, cum sperat se pro-
 futuram, sed timet pro infamia aut morte. Et quidem cum ti-
 metur infamia publica, communis est sententia, non teneri
 reuelari. Ita habet Scot. 4. dist. 15. q. 2. & Anton. 2. p. tit. 1. cap. 8.
 §. 1. & Medi. q. 3. de testi. cap. 4. & Caiet. verb. adulterium, & mul-
 ti alij. At Soto lib. 4. q. 3. ar. 2. id limitat cum Adr. q. 1. de testi. &
 Maior. 4. dist. 15. qu. 17. licet Adr. & Maior. simpliciter dicant,
 cum periculo infamiæ debere reuelare: cum enim redditus
 sunt multum pingues, ut superent famam, aut æquent, adul-
 tera tenetur reuelare, etiam cum infamia: aliquando enim po-
 test esse adultera infimæ conditionis, aut mediocris, & reddi-
 tus pinguiissimi: quod si tenues essent, & fama esset maior, non
 tenetur. Dubium maius est de periculo vitæ, Innocen. Ho-
 stien Panorm. cap. allegato officij, non teneri cum periculo vi-
 tæ afferunt, cum Theologis, Gabr. dist. 15. q. 2. ar. 2. Sylu. verb.
 adulterium §. 2. Angel. verb. adulterium §. 4. & prædictis di-
 centibus non teneri cum infamia. Et ego ita credo, quia illud
 caput absolute loquitur de timore, cum quo non tenetur; &
 ita tenet Nauar. cap. 19. num. 89. & ita videtur in illo cap. defi-
 nitum ab Innoc. Papa. At Soto cum Adrian. loco citato limitat,
 si redditus sunt supra modum pingues, ut regnum, impe-
 rium, ducatus magnus: tunc enim debet subire tale periculum,
 maxime si bonum reipubl. maius illinc proueniat. In casibus
 vero ordinarijs, cum periculo famæ vel vitæ non tenetur a-
 adultera reuelare. Aduertendum tamen est, adulterum teneri
 eandem restitutionem, ad quam tenetur adultera, meliori mo-
 do, quo potest, faciendam; non tamē teneri reuelare. Hoc au-
 tem intellige, cum suum esse scit probabiliter: hoc enim com-
 munis sententia docet, quamuis Soto dubitet de hac restitu-
 tione, sed absq; ratione. Cum verò non cognoscit probabili-
 ter, quia mulier leuis est, & cum alio rem habet, vide Sylu. ver-
 adulterium esse suum, & non teneri restituere.
 Aduertendum tertio, filium adulterij, secundum sententiã
 communem, non teneri credere matri dicenti, cum esse ex a-
 adulterio. Panorm. cap. per tuas, de probat. vult, non teneri crede-
 re, nisi verq; parens dicat; nisi testimonia aut indicia suffi-
 cientia adducat. Si tamen fidem adhibeat matri, tenetur re-
 restituere hæreditatem, quamuis non teneatur ea reddere quæ

bona fide consumpsit. Similiter nec maritus tenetur credere adulteræ. Hæc, quæ diximus de adultera, adultero & filio spurio, dicenda sunt de filio suppositicio, quæ fœmina supponit, & finxit esse suum, ne hæreditas ad alios transiret; & de hoc loquitur illud cap. officij allegatum: quæ diximus enim de illo adulterij, dicenda sunt de isto: verus enim pater & fœmina supponens, tenentur restituere; vel reuelare tenetur fœmina se, vt diximus de adultera.

Aduertendum quartò, licitum esse ad occultandam infamiam, vel vitæ periculum, in adulterio filios exponere in hospitali, dum modo tamen pater & mater reseruant omnes expensas hospitali, si habeant vnde possint reddere. Si vero pauperes sunt, non tenentur, quia talia loca pro pauperibus instituta sunt: debent tamen curam animæ pueri multum habere. Nunquam tamen licet propter vitandam mortem propriam & aliorum etiam occidere puerum, sed est graue mortale & militer abortum facere.

Aduertendum tandem est, quòd inter alias poenas ad adulterorum, hæc vna est, vt adulter perdat ius petendi debitum, vt si maritus adulterauit cum aliqua, potest quidem vxori reddere, sed non habet ius petendi, adeo vt possit vxor ab ipso petere negare debitum, quod ante adulterium non poterat sine mortali. Similiter vir potest negare vxori adultera, & hæc licet possit petere, tamen non ex iure seu iustitia obligante vxor ad reddendum. De hoc tamen dicendum est inferius, in materia de matrimonio.

De incestu, raptu, & sacrilegio.

CAPVT XII.

Quarta species est incestus. Est autem copula cum consanguinea aut affine intra quartum gradum, & peccatum est n. mortale grauius præcedentibus. Quòd autem maior est coniunctio, eò maius est peccatum. Vnde incestus cum consanguinea maius est peccatum quam cum affine, & iura consanguineas cum coniunctiori, sicut etiam inter affines. Incestus non solum est peccatum, sed vnum ex impedimentis impediens matrimonium contrahendum, adeo vt peccet mortaliter, qui contrahit sine dispensatione, non tamen dicitur contractum. Sed tenet communis opinio hoc impedi-

mentum intelligi de utroque incestuoso, tam qui affine, quam qui consanguinea abusus est. At Syluest. verb. matrimonium. §. 6. solum de affine intelligit, & hoc videtur probabilius, cum non sit vllus textus tale impedimentum ponens. Qui igitur cum consanguinea suae uxoris rem habuit, ipsa mortua, non potest amplius ducere sine dispensatione: Immo qui etiam rem habuit cum consanguinea eius, cum qua fornicatus est, non potest ducere uxorem; nam fornicatio etiam facit affinitatem. Rursus idem incestuosus cum consanguinea uxoris, non potest petere debitum, sed solum reddere quousque obtineat dispensationem, quam potest dare Episcopus (Armilla verb. dispen. §. 18.) sicut etiam dispensationem ducendi uxorem, si prior moriatur, aut si incestuosus non erat coniugatus.

Quinta species est, raptus. Hoc autem peccatum, quantum ad actum luxuriae, non distinguitur ab alijs, sed addit rapinam & violentiam quandam, siue cum soluta, siue cum coniugata, siue cum virgine, siue cum homine sit. Haec autem violentia fit aliquando ipsi foeminae, aliquando patri, aliquando utriusque simul, & semper est mortale peccatum, & tenetur raptor restituere raptam, vel patri, vel sponso, vel marito, si sponsata, vel coniugata erat. Sunt autem poenae temporales contra raptos positae, & spirituales, de quibus in Concil. Trident. sess. 24. c. 6. ubi raptos decernuntur infames, ipso iure excommunicati, omnium dignitatum incapaces, & non solum hi, sed omnes consilium, auxilium & fauorem dantes. Est & alia quae ad rem facit, & habetur 27. quaest. 2. Can. statutum, qui rapit alienam sponsam, non potest amplius matrimonium contrahere, estque impedimentum impediens contrahendum, sed non dirimens contractum, sicut dictum est de incestu.

Sexta species est sacrilegium, cum copula fit cum persona Deo dicata per votum castitatis, aut religionis, aut copula fit in loco sacro. Vnde cum Sacerdos, vel in minoribus constitutus, vel monachus, vel monialis copulam habet, grauissime peccat sacrilegij peccatum. Similiter laicus rem habens cum monia, vel virgine Deo dicata, rursus committit sacrilegium, qui in loco sacro copulam habet, & quamuis sit conjugalis copula, est mortale, secundum omnes. Vnum tamen dubium est apud Doctores, an si maritus, & uxor tenerentur coelusi in aliquo loco sacro, ut inde non possent exire, licite possent habere copulam.

Quidam dicunt, licitum esse, si multo tempore illic detineatur. Hoc habent Ricard-4. dist. 32. sum. Ang. verb. debitum, §. fin. & Rosel. verb. debitum, §. 7. Quidam ibi negant & dicunt esse mortale. Id tenet Palud. dist. 32. qu. 4. & Tab. matrimonium. 3. §. 5.

At mihi videtur dicendum cum Sylu. verb. debitum. §. 6. Copulam conjugalem dupliciter fidei posse. Vno modo, ad vitandam incontinentiam & peccatum carnis, quo vitatur coniux.

Altero modo, ad alium finem vel delectationem, vel filiorum procreationem, sine necessitate tamen, vel periculo incontinentiæ.

In priori casu licitum est, nec Ecclesia polluitur; in secundo non licet, sed est mortale. Est autem contra raptos, sollicitatores, vel corruptores monialium taxata poena capitis in iure canonico. 27. q. 1. cap. si quis rapuerit, & ipsius bona monasterio depu antur. Est enim profecto peccatum magna animaduersione dignum, & quod Deo summopere displicet.

De peccato contra naturam.

CAPVT XIII.

VLtima species peccati est contra naturam. Cuius quatuor sunt species: Mollities, Inordinatus concubitus, Sodomia, Bestialitas.

Mollities est voluntaria seminis emissio absq; copula; aliter dici solet voluntaria pollutio. Est autem notandum esse tres pollutiones, quædam fit in somnis, quædam in vigilia, sed absq; consensu polluti: & dicitur inuoluntaria pollutio, quæ fit in his, qui seminis fluxum patiuntur; quædam fit in vigilia cum consensu, & dicitur pollutio voluntaria.

In primis, pollutio nocturna, quæ absq; vsu rationis fit, in se non est peccatum, quia non est voluntaria. Fit autem tripliciter; aliquando tota est in somnis; aliquando motus corporis accedit in somnis, tamen emissio fit ferè in vigilia, ita tamen vt homo nondum habeat plenam libertatem se cohibendi; aliquando partim fit emissio in somno, partim in vigilia: & licet aliquando homo sit perfecte expergefactus, tamen non habet potestatem cohibendi se. Nullo horum modorum in se est mortale peccatum; in secundo & tertio potest esse veniale, si

si homo habuit aliquem usum rationis, & potestatem habuit prohibendi, sed imperfectam, & non plenam: si enim plena esset, mortale esset. Quamuis autem non sit in se peccatum ista nocturna pollutio, tamen in antecedentibus ipsam, quod alij dicunt in causa, potest esse peccatum, & in subsequentibus, seu in effectu.

Tripliciter enim potest quis peccare in antecedentibus talē pollutionem.

Primo, in desiderio & affectu deliberato, ut si quis desideret deliberatē habere pollutionem, ob delectationem carnalem, mortaliter peccat. Dixi autem, *ob delectationem*, nam si quis desiderare: ob finem bonum, scilicet sanitatem, vel ad levandas carnis tentationes, quibus interdum affligitur, non esset peccatum, secundum Nauar. cap. 16. nu. 6. quamuis Soto 4. dist. 12. q. 1. art. 7. non probet: tamen magis placet Nauar. opinio, dummodo non sit tale desiderium, quod sit causa pollutionis; nam quibus afficimur, solent in somnis occurrere. Si tamen tale desiderium sit, ex quo probabiliter non timeatur pollutio, quia magis est speculativum, quam practicum, nec est multum intentum, non damnarem, quamuis, iudicio meo securius esset tali abstinere desiderio.

Secundo, potest esse peccatum in procurando ipsam pollutionem, & hoc semper est mortale, quamuis propter sanitatem fiat. Vnde qui vescitur rebus calidis, vel tali situ in lecto accumbit, hoc animo, ut in somno pollutio accidat, non excusatur a mortali, nec valet argumentum, licitum esse desiderare ob sanitatem, ut diximus, ergo licitum est procurare: non enim valet; Licet desiderare mortē alicui, quia homo iniquus & nocivus est, ergo licet eum occidere: consequentia nulla est; sic etiam nec ista consequentia in presenti facta quicquam valet.

Tertio, potest esse peccatum in non remouendo causam futurę pollutionis. Ut tamen in hoc sit peccatum, aliqua sunt necessaria.

Primo, ut homo cognoscat probabiliter causam futurę pollutionis, ipsamque aduertat, aut debeat aduertere: si enim homo facit id, unde pollutio sequitur, & cognoscit probabiliter inde euenturam pollutionem; aut, si non cognoscit, id est, maxima negligentia; ut qui experitur sæpe, ex eo quod sic accumbit, pollutionem sequi, si non id aduertat, non excusatur, talis profecto peccat. Dixi autem, *probabiliter cognoscat*,

quia si dubitat de futura pollutione, & non habet mortalem certitudinem, non est mortale, sed veniale, vt habet S^{ca} verb. pollutio, vt qui vescitur cibo, quem dubitat pollutionem inducturum. Non tamen satis est aduertere, sed opus est, vt possit talem causam remouere: si enim non potest, non peccat, nisi in eo consentiat & complaceat.

Adhuc hoc non est satis, sed quia amuis possit remouere, opus est vt talis sit causa, quam teneatur remouere: vnde, quando causa est bona & recta, quamuis cognoscat quis pollutionem euenturam, non ob id tenetur auferre, nec peccat non auferendo: vt qui studet his rebus, vnde probabiliter cognoscit postea futuras pollutiones, non ob id peccat, quamuis studium non omittat, quia non tenetur omittere. Teneatur quidem, si ob curiositatem id studeret. Nec etiam tenetur auferre, quando causa non est mala, & ex ipsius ablatione sequitur nocuumentum: vt qui ex eo quod sic accumbit, aduertit se incurere pollutionem, si aliter non potest dormire, non tenetur aliter accumbere, vt dicit Soto loco allegato. Similiter qui non habet cibos, quibus vescatur, nisi eum, vnde pollutionem sperat, non tenetur abstinere, si abstinentia talis ei nocet, cum tamen causa mala est, aut talis, vt eius ablatio non inferat nocuumentum, nec bonum aliquod impediatur, tunc homo tenetur auferre, & non auferendo, cum aduertat vel debeat aduertere, peccat. In his casibus peccatum accidit in causa, & antecedentibus pollutionem. Quando vero alijs ex causis prouenit, puta, ex demonum illusionem, vel naturam debilitate, vel fortitudine, tunc nullum est peccatum in effectu.

Rursum, pollutio esse potest peccatum, vt si homo in facta pollutione complaceat ob delectationem, mortaliter peccat. Dico autem, ob delectationem, quia complaceat ob sanctorum, vel, vt tentationes carnales non sunt ita vehementes, non est peccatum, vt habet Nauarr. loco citato, & ante ipsum habet Sylu. verb. pollutio. Hæc sunt de pollutione nocturna.

Pollutio autem per uigil, quæ fit, homine non volente, de se non est peccatum, quia est actus naturalis. Immo si voluntas cohibeat consensum, & patienter hoc ferat, est materia magis meriti.

Potest tamen in duobus casibus esse peccatum.

Primo, si sit complacentia deliberata in delectatione illa: tunc enim esset mortale, & si non esset omnino indeliberata, esset veniale.

Secundò, in causa, si homo non auferit causam, quam cog-
noscit, & potest, & tenetur auertere, tunc etiam mortaliter pec-
cat. Dico autem, *quam tenetur auertere*, quia si non tenetur,
quia est bona, aut non est mala, sed auferri non potest absque
gravi nocimento, non peccat homo, non auferendo. Vnde
Confessarius, si forte, dum audit confessiones, in tales incidit
pollutiones, non ob id tenetur non audire alios, nisi sit peri-
culum complacentiæ in pollutione: tunc enim tenetur relin-
quere confessiones, & auferre peccati occasionem, secus,
non.

Tertia pollutio est voluntaria, quæ fit homine ipso con-
fessante, & hæc est peccatum mortale, & dicitur mollietas, de
qua dicitur 1. Corinth. 6. *Molles regnum Dei non possidebunt*, &
est grauisimum omnium antecedentium, quia est contra na-
turam, nec licet propter sanitatē, nec propter vitam, nec pro-
pter quemcumque finem. Vnde grauisimè peccant Medici,
qui talem actum consulunt ob sanitatem, nec excusantur à
mortali, qui eis obediunt. Est autem hoc peccatum difficilli-
mæ emendationis, quia occasio ferè semper est cum homine,
& est adeò vniuersale, vt crediderim maximam partem dam-
natorum hoc infici peccato. Vix puto esse aliud efficax reme-
dium, nisi frequentissimam confessionem cum vno, eodem-
que Confessario, vt fiat ter in hebdomada, si fieri possit: est e-
nim hoc sacramentum maximum frantum, & qui hoc non vi-
tatur, non sibi promittat emendationem, nisi per miraculum
à Deo factum, aut rarissimum priuilegium. Est autem in hoc
peccato attendendum, quòd in eo inuoluuntur alia: nam si ho-
mo desiderio & imaginatione adhæret alicui, dum ipsum cõ-
mittit, est illius generis, cuius esset, si verè cõmitteretur cū per-
sona, quæ affectat, vt, si affectat, & imaginatur virginē, est stu-
prium, si coniugatā, adulteriū, & sic de alijs: Immo sapius in vno
peccat actu, quoties in diuersas fertur personas, & sunt ista in
cõfessione manifestanda. Ista pollutio aliquando cõmittitur à
persona vna se prouocante ad eam, siue fæmina sit, siue mas,
aliquando fit è duabus, vna alterā iuuantē. vt cū fæmina cum
fæmina copulatur, aut mas, altero ipsum tangente se polluit,
quod multis modis fit, quos libès prætermitto, quia scire non
oportet. Hæc sunt quæ spectant ad pollutionē seu mollietatem.

Alerum peccatum est, inordinatus concubitus, cū nem-
pe fæmina in copula est desuper, aut cū mas retrò accedit,
male non mutato; hoc autem peccatum ex se non est mortale,

nisi coniungatur cum mortali copula, puta, fornicatione, adulterio, & alijs: vnde fit, vt inter coniuges non sit mortale, vt habet Sylu. verb. debitum. §. 6. nisi sit periculum seminis effusionis extra vas, aut foetus impediatur: tunc enim esset mortale, aliàs veniale esset, nisi ob aliquam fieret necessitatem.

Tertium est sodomia, est quidem nō um peccatum, sed obominabile, & iræ Dei nimis prouocatiuum.

Omnium tamen pessimum est bestialitas, cum copulatur cum bruto animali, nec humana nequitia vltra ferè ascendit. Sunt autem pro hoc, & pro antecedenti peccato, mortis poenæ in iure ciuili meritò statuta: nec enim debet viuere homo, qui cum sit homo, non viuit vt homo.

De his, quæ in isto præcepto simul prohibentur.

CAPVT XIV.

Non solum quæ dicta sunt vitia, sed alia etiam multa, peccatum faciunt mortale contra istud præceptum.

Primo quidem desiderium, & affectus deliberatus rei venereæ, & ipsius operis, quod est mortale, facit etiam mortale. Dico autè deliberatum, cum homo affectat & concupiscit ea, cum à tali possit affectu abstinere.

Secundo, oscula, tactus, amplexus ob carnalem delectationem, sunt etiam peccata mortalia, quamuis homo non intendat copulam, sed solum delectationem carnalem ex his insurgentem, vt bene docet Caiet. opusc. de delectatione mortali. Tomo, quia talis delectatio ex se ad copulam ordinatur. Licet tamen ista inter sponso, dummodò non esset periculum probabile pollutionis: tunc enim esset mortale, etiam inter coniuges.

Tertio, videre sceminas aut viros, animo concupiscendi ad copulam, etiam est mortale; tamen ad solam delectationem carnalem, quæ ex visione insurgit, solum est veniale, vt notat Caietan. loco allegato. Idemque dicendum de audita & locutione rerum venerearum, si deliberatio non transit ad res ipsas, quæ per talia verba exprimuntur: tunc enim mortale est.

Quarto, opera externa, quæ sunt ordinata, & hoc animo fa-

ta, pu-

ita, puta, ad rem veneream, sunt mortalia, vt vestire se nouis vestimentis, vt ab alijs concupiscatur, literas amatorias scribere, visitare loca talia, & reliqua huiusmodi.

Quinto, delectatio morosa etiam est peccatum mortale. In cuius gratiam aduerte, delectationem consequi in nobis ex cognitione aliqua, siue per intellectum, siue per imaginationem, siue per sensus fiat. Cum autem delectatio sequitur ex cognitione alicuius rei, & facti boni, non est mala; cum vero consequitur ex aliqua re mala, tunc potest esse mala, si sit morosa. Dicitur autem morosa, cum homo consentit delectationi illi liberè, aut cum potest prohibere, & tenetur prohibere, & non prohibet, & remouet. Cum igitur delectatio sequitur ex cognitione alicuius peccati mortalis, est mortale, si morosa sit: vt qui cogitat rem veneream, & ex tali sequitur delectatio morosa, mortaliter peccat, aut consentiendo delectationi, aut non expellendo eam, cum possit, & teneatur; idemque est de alijs peccatis.

Aduerte autem, quod non omnis delectatio est delectatio morosa, cum non prohibetur, licet possit prohiberi, sed cum non prohibetur ob ipsam delectationem, quia homo vult delectari: si enim non prohibet, ob finem bonum, vt qui causa vincendi tentationes, & pugnandi, id faceret, non peccaret, nisi subiret periculum cõsontendi. Vt autem sit peccatum, debet homo aduerte talem delectationem, aut debuisse aduerte, alias non est mortale, vt dictum est de pollutione.

Nota tamen, delectationem morosam non solum esse peccatum mortale, cum confurgit ex actu mortali, sed cum etiam confurgit ex actu alias licito, sed non tunc, vt qui cogitat actum coniugalem post factum, & delectationi presentem modo consentit, mortaliter peccat, quia ille actus non est licitus, nisi cum sit.

De septimo præcepto, Quid sit furtum.

CAPVT XV.

Septimum præceptum habetur Exod. 20. *Non furaberis.* Erga quod quatuor inquirenda sunt. Primo quid sit furtum. Secundo, quot, & quæ ipsius species. Tertio, quæ, & quantum peccatum. Quarto, ad quæ teneatur, qui furatus est.

Quantum ad primum, omnibus alijs definitionibus missis, mihi videtur commodius posse sic definiti in communi, ut in isto præcepto prohibetur: *Furtum est ablatio rei alienæ, inuito domino*. In qua sunt quatuor particule.

Prima est, *ablatio rei alienæ*. Noli dicere acceptionem rei alienæ, ut alij dicunt, quia furtum non solum est acceptio rei, sed etiam detentio alieni apud se, & etiam damnificatio alieni, ut qui comburit rem alicuiam: ob id dicitur ablatio, quia ablatio comprehendit acceptionem, detentionem, damnificationem.

Secunda est, *alienæ*. Vocamus autem in presenti rem alienam, quæ vel alterius est, vel est in alterius potestate. Vnde qui ab alio auferret, quod in eius deposito erat, diceretur auferre alienum, quod in alterius est potestate, quia modo ab quo auferit.

Tertia est, *inuito domino*: cum enim dominus sponte sua se suo priuat, qui accipit, non dicitur furari.

Adhuc tamen ista tria non constituunt plenam furti rationem, nisi accedat quarta particula, nempe *iniusta*, id est, contra iustitiam facta, per quam particulam multæ ablationis ratione furti excusantur.

Prima, cum sit ablatio ex ioco: quamuis enim inuito domino fiat ablatio, non tamen censetur furtum.

Secunda, cum sit in poenam; vnde filij Israel auferentes diuitias Aegyptiorum, non commiserunt furtum: nam Deus eos in poenam spoliari voluit. Quam sententiam executi sunt Iudæi, Deo per Moysen id manifestante. Simile esset, si Princeps aliquem sic damnaret, quamuis damnatio fieri deberet secundum iuris formam.

Tertia, cum sit in bonum finem, & conuertitur ablatum in utilitatem ipsius, à quo auferitur, si fieri potest. Vnde non peccat, nec est furtum, cum quis ab amate enssem subripit, ne illum percutiat, dummodo vendat eum, & in utilitatem amicitie conuertat: nec furatur vxor (Sylu. verb. furtum §. 16.) quæ pecunias auferit secretò à marito, ne in ludis, vel comessationibus profundat, si illa in vsu familiae conuertat; nec peccat, qui vinum effundit, ne alius inebrietur; nec qui chartas rumpit, ne ludant alij. Nulla harum ablationum, quamuis inuito fiat domino, furtum dicitur, cum non contra iustitiam, sed secundum charitatem fiant.

Quartò, cum sit virgente necessitate: cum enim aliquis est in

extre.

extrema necessitate vitæ, aut in eius periculo probabili, si fectetò ab alio accipiat sibi, quod necessarium est, non est fur, nec facit contra iustitiam; maxime cum iste alijs non dat: sed hoc non licet in quacumque necessitate, sed grauissima, & fere extrema.

Quintò, cum aliquis capit, quod aliàs sibi debetur, sed alter non vult soluere. Vnde, si quis fectetò à debitore sumeret pecunias, quæ sibi erant debitæ, non furatur, nec tenetur ad restitutionem; quamuis aliquando peccet sumendo; aliquando autem non peccabit, si seruet aliquot conditiones.

Prima, vt sit certus tales sibi deberi pecunias.

Secunda, vt commodè non possit eas exigere coram iudice, quia debitor est potens, siue quia nõ potest probare debitum, siue quia timet sibi aliquod malum ab illo, vel scandalum euenturum. Cum tamen nihil horum esset, sed posset commodè suas exigere pecunias, peccaret rapiendo occultè: tamen ad restitutionem non teneretur. Ita habet Archid. 14. qu. 5. Can. non sanè.

Tertia, dum scandalum, vel nocumentum alijs non sequatur: si enim ex illa occulta ablatione alijs venirent in suspicionem, vnde nocumentum pateretur, nõ potest absque peccato auferre, quamuis, si auferret, non teneatur ad restitutionem eius, quod abstulit. Aliquãdo tamen obligatur ad manifestandum factum, cum graue esset innocentium incommodum, vel ad reddendum, quod abstulit. Ita habet Innoc. cap. olim de restit. spol. vbi dicit: *Quidam dicunt, & non malè, quòd etiam sua auctoritate potest quis accipere furtiuè; dummodo ex tali furto nec malum, nec scandalum valeat generari, quia si inde oritur, vel contra uxorem, vel contra familiarem, vel contra quemcumq; alium, hic debet rem in pristinum statum restituere.*

Quartò, debet providere in quantum potest, ne ille, à quo sumpsit, restituat illud debitum, quod iam fuit ab illo ablatum & iniurus soluerat.

Quintò, nihil aliud debet sumere vltra id, quod erat debitum ei. Vnde si pactum fuit factum inter dominum, & famulum, non potest famulus vltra pactum sumere, aliàs tenetur ad restitutionem, quamuis vere pretium, aut merces pacti nõ sit sufficiens, si liberè fecit tale pactum, nec coactus est famulus seruire sub illa pecunia; & dum dominus postea non coegerit illum in alijs officijs famulari, de quibus non conuenit:

tunc

tunc enim dominus teneatur soluere ultra pactum: quo volente, famulus posset capere, & completo pacto, denuo pacto, etiam de illis seruitijs de nouo adiunctis: non enim, stante pacto potest amplius famulus sumere: nisi seruire cogatur. Quando verò pactum non est factum, sed relictum est in domini voluntate, tunc mensurari debet iuxta summam, quae ordinariè solet ab alijs pro tali famulatu exigi. Omnes haec leguntur acceptiones furta non sunt, cum non sint contra iustitiam: omnes enim haec quatuor partes ad furti rationem convenire debent.

De speciebus furti, & quod peccatum sit fursum.

CAPVT XVI.

Furti generaliter dicti duae sunt species, prout ad praesens attinet, fursum specialiter dictum, & rapina: cum enim aliquid auferatur ab aliquo, absque violentia ei inculsa, sed ignorante eo, dicitur fursum; cum verò aliqua ei vis inferatur, rapina dicitur. Fursum autem in genere utramque speciem includit. Mortale peccatum est ex genere suo, cum sit contra unum ex decem praecipis Decalogi. Fit autem mortale, cum quod quis furatur, notabilis est quantitas. Quare si aliquis, qui dicitur notabilis quantitas. Ad quod dico, duplicem esse notabilem quantitatem, alteram secundum se, & haec est, quae ab omnibus censetur mediocris, aut grandis valoris, ut est quantitas quatuor iuliorum: hanc enim à quocumque etiam dimissimò furti, mortale esset.

Altera est notabilis quantitas, respectu eius, à quo rapitur, sicut esset quarta pars iulij, respectu cuiusdam pauperis: haec enim furari mortale esset. Cum verò est parua quantitas secundum se, & respectu etiam alterius, tunc fursum est veniale, ut qui furaretur pomum, vel calamum, vel quid simile: quamuis autem hoc sit veniale, tamen ratione quarundam circumstantiarum posset fieri mortale.

Primo, cum qui furatur, animo accedit furandi notabilem quantitatem; sed quia paruam inuenit, paruam respectu eius est mortale peccatum, non ratione furti: nam, quamuis nihil inueniret, esset adhuc mortale, sed ratione animi, quo accedit.

Secundò, cum, qui parum furatur, cognoscit probabiliter dominum illius ex tali furto prorupurum in blasphemiam, vel in mortale peccatum, quia iracundus, & impatiens est nimis, qui hoc sciens furatur, ut calamum, etiam ioco, mortaliter peccat; cum tamen ignorans furatus est, non peccat, nisi venialiter, licet ille postea in peccatum prorumpat.

Tertio, cum illa parua quantitas erat multum utilis domino, & ex defectu in magnum incidit nocumentum, tunc qui surriperet, si id præcognosceret, mortaliter peccaret, ut qui futuri non habenti acum aliam, nec unde habeat, illam furatur scienter, & qui ab aliquo artifice furatur instrumentum, quo rapto, verisimile est saltem diei opus perditurum.

Quarto, cum quis tot quantitates paruas furatur, ut magnam adæquent, ut qui ab hoc vnum obolum, ab alio alium, & à multis simile, ut fiat magna quantitas. Nota tamen, non semper hoc esse mortale, nisi cum homo animum suum habet ista furta committendi: tunc enim pro vno reputatur. & sic peccant multi minutas res vendentes, & in singulis obolum vitia iustitiam exigentes; & famuli, qui ex multis dominorum rebus volūt, ex singulis singula minuta subtrahere: qui tamen animum hunc non habet, nec officio, sed casu, modò vnum, modò alterum furatur obolum, quavis temporis discursu notabilis fiat quantitas, non est mortale, sed multa sunt venialia. Furtum autem ex genere suo non solum mortale peccatum est, sed ad restitutionem obligat. Huius occasione oportet de restitutione agere: quamvis non solum qui furantur, sed etiam alij multi rem alienam etiam iuste accipientes, ad restitutionem teneantur.

Quid restitutio, quis restituere teneatur, ratione rei male accepta.

CAPUT XVII.

Oportet primum, quid restitutio sit, constituere, deinde ea, quæ ad ipsam spectant. Est autem restitutio, *actus iustus, quo cuique redditur, quod ab eo ablatum, vel acceptum*. In qua definitione quatuor particulae continentur.

Prima est, *actus iustus*: iustitia enim quædam est virtus, quæ iungit hominem, ne quod alterius est rapiat, & si quid rapuit,

ut red-

vt reddat. Ob id dicitur, æquabilitatem facere in rebus. Loquimur enim de iustitia ea, quæ commutatiua dicitur, cuius actus & operatio quædam est restitutio.

Secunda particula est, *quo unicuique redditur*. Iustitia enim facit, vt quod debemus alicui, ei demus, & hoc dicitur solent. Facit etiam, vt, quod ab altero accepimus, vel abstrulimus, reddamus, id est, iterum in sua potestate ponamus; & talis actus est restitutio. Ob id dicitur, *quo unicuique redditur*. Et attendit dupliciter alicui reddi aliquid, vno modo, cum ipsimet reddatur; altero modo, cum redditur alicui pertinenti ad ipsam, vt uxori, filijs, vel hæredibus, vel alijs. Vtroq; modo fieri solet restitutio, vt inferius dicemus.

Tertia particula est, *quod ab eo ablatum est*. Per ablatum intelligimus iniustam acceptionem, qua ab altero abstrulimus, puta furando vel rapiendo, aut damnificando, a persona, fama, vira, & rebus, & alijs; aut iniuste, quæ illius tenentur detinendo. Ad restitutionem enim spectat, talia ablatum reddere.

Quarta particula, *vel acceptum est*: per quod verbum iustam actionem habendi, quod alterius est, intelligimus, siue per iniuriam, siue per censum, aliosve contractus inferius dicendos. Est igitur restitutio, reddere cuique, quod ab eo abstrulimus vel accepimus.

Ea quæ ad restitutionem pertinent, nouem sunt, & in horum tractatione tota consistit materia. Sunt autem hæc, quæ restituere tenetur, quid habet restituere, & cui est faciendum restitutio, & quantum est reddendum, & quo modo, & quo tempore, quo ordine, quo loco, & quæ sunt causæ, propter quas aliquis excusetur ab obligatione restituendi. Hæc omnia in duobus carminibus continentur.

*Quid, quis restituet, cui, quantum, quomodo, quando;
Ordine, quo ve loco, quæ causa excusat iniuriam.*

Incipiendum est igitur ab eo, qui tenetur restituere. Quis ergo restituet? In huius gratiam nota. Cum aliquis capit eundem alterius est, sunt ibi duo consideranda, & ipsa res accepta, & ablata, & ipsa actio, qua auferitur vel accipitur. Res autem potest & male & bene seu iuste accipi. Vnde fit, vt sint quatuor species, res iniuste accepta, res iuste accepta, mala actio, & acceptio bona seu iusta, seu iniusta. Ad hæc quatuor tanquam ad quatuor radices, & principia oportet resolvere hoc, vt cognoscatur.

ur, quis obligetur ad restitutionem. Nam obligari quis potest aut vna, aut pluribus ex his radicibus, quarum singulae explicandae sunt.

De prima ergo ratione rei male acceptae, sit generalis regula: Omnis qui habet rem ipsam acceptam male, tenetur ipsam restituere, siue bona fide, siue mala habuerit, ver. gra. aliquis emit a latrone equum, quem furatus erat, hic, in cuius potestate est equus, tenetur ipsam restituere domino, absque villo pretio; nam rei male acceptae nullus dominium verum acquirit. Ille dicitur habere rem bona fide, qui existimat esse rem suam, quia nesciebat esse latronem, a quo emit, vel quia se iustum titulum habere rei talis putabat: ille autem simul atque cognoverit non esse suum, tenetur reddere, & si sit in mora, iam est possessor malae fidei. Ille vero dicitur habere mala fide, qui se non habere iustum titulum existimat, vt qui emit a latrone, quem sciebat esse latronem, & rem esse furtiuam. Vterque possessor tam malae quam bonae fidei, si rem ipsam habeat, ratione rei acceptae tenetur restituere, sed cum differentia notanda.

Primo, malae fidei possessor, quocumque modo res pereat, tenetur ad restituendum: vnde qui emit scienter a latrone equum, tenetur restituere domino, siue habeat adhuc equum, siue furtio fuerit ei sublatus, siue vendiderit alicui siue mortuus fuerit. At vero bonae fidei possessor non tenetur rem restituere, si stante bona fide, res ipsa perit: vnde, si, stante bona fide, ab eo forte sublatus est, vel mortuus est, vel venditus tanti, quanti emptus, ad nihil tenetur, quamuis postea sciat fuisse furtiuum: tenetur tamen cum, cui vendidit, seruare indemnem & restituere pretium, si forte ab illo fuerit ablatum, vt domino reddatur. Dico autem, stante bona fide: nam si post bonam fidem acquisiuit malam, quia sciebat rem esse furtiuam necesse suam, & tunc habet rem, non potest vendere, & si vendat, adhuc tenetur restituere. Similiter, si sit mora, quia vult reddere domino, cum possit, quamuis res pereat, semper tenetur ad restitutionem, sicut dictum est de malae fidei possessore. Notandum tamen, quod licet non teneatur restituere rem, quae in bona fide perijt, tenetur tamen reddere quod per illam lucratus est, & habuit, quod non habebat. Vnde, si plura vendidit, tenetur excessum reddere. Et, si ei dono equus datus est, & vendidit, totum reddere tenetur, deductis suis expensis; & satis fit nec habere plus, nec minus quam habebat.

Secun-

Secunda differentia est, malæ fidei possessor non solum tenetur rem restituere, sed totum damnum emergens, & cessans, quod domino euenit ex mora restitutionis: v.g. si quis sciens a latrone equum locationis, & detinuit per dies menses, iste tenetur, non solum equum domino reddere, sed illud etiam, quod dominus lucratus esset illis mensibus, tamen ipsius equi; quamuis iste, qui emit equum otiosum, non tenetur: & si aliquod damnum inde domino euenit, ipsum restituere tenetur. At verò bonæ fidei possessor non tenetur ad hoc, sed solum ad ea, in quibus factus est ditior, id est, ea, quæ habet ultra id, quod habiturus esset, si rem non habuisset: v.g. si talis equum habuisset otiosum, ad nihil tenetur, nisi ad ipsius equi restitutionem: si verò locasset, & lucratus esset, tenetur ad lucrum etiam reddendum, deductis expensis proprijs, ut nullo ex proprijs damnificetur.

Rursus, sit aliud exemplum. Aliquis inuitatus est ad splendidissimum conuiuium, in quo res magni pretij consumpsit tunc, si mala fide accessit, quia sciebat omnia illa esse sua, tenetur restituere quantum consumpsit; si verò bona fide, & postea sciuit esse illa ex furto, solum tenetur reddere quantum lucratus est, id est, quantum ipse consumpsisset ex proprijs, si illa non consumpsisset. Vnde, si non erat conuictus, nisi libram arietis, & libram panis, ad horum valorem tantum tenetur.

Rursus, si iste, qui bona fide emit equum locationis a latrone, ipso utitur, & iter facit eques per mensem, si postea sciuit non esse vere suum, tunc oportet aduertere, an talis homo equum non habuisset, fuisset alium conducturus; si enim non, & pedes iuisset, nisi ut suum habuisset, ad nihil amplius tenetur; si verò alium fuisset conducturus, tenetur reddere quantum ipse alias expendere putarat.

Rursus, qui emit vestem pretiosam vili, bona fide, & post consumptam, constat non fuisse suam, tenetur restituere, quantum ipse in alia veste expendisset, nisi illam emisisset: at mala fidei possessor, tenetur restituere, quantum vestis illa valeret, quando emit eam.

Tertia differentia est, bonæ fidei possessor potest præterire, aut vsucapere rem ipsam; at verò malæ fidei, non potest. Explico; ad lites interimendas, iura concesserunt, ut qui spatio temporis rem haberet, ac si esset sua, licet vere non esset, dominium ipsius acquireret, & hoc in rebus mobilibus dicitur

usucapio, in immobilibus dicitur prescriptio: est autem tempus usucapionis, triennium: in prescriptione est aliquando decennium, aliquando viginti, aliquando triginta anni, ut alias est declarandum. Dico igitur: qui rem bona fide habet, potest usucapere, & prescribere, ut, si post tempus compareat non fuisse suam, ad nihil teneatur; nec ipsam restituere: at verò malæ fidei possessor, nullo potest tempore prescribere.

Quantam differentiam ponit Nauar. cap. 17. num. 9. Bonæ fidei possessor, potest vendenti rem reddere, cum comperit non esse suam; at verò malæ fidei, non; sed domino. Sed hæc differentia nulla est. Nam uterque possessor potest reddere venditori, & recuperare suum pretium. Si autem hoc non posset, tunc reddere domino tenetur, & istam sententiam tenet Alexand. de Ales. 4. part. quæst. 86. art. 5. & Syluest. verb. restitutio, 3. § 7. quamuis aliqui contrarium putent. Vnde potest, qui emit à latrone quacumque fide, reddere latroni emipsum, si potest, ipsum tamen exhortari debet, ut reddat, Sor. lib. 4. quæst. 7. art. 2. dicit aliquem excusari ignorantia iuris, ut quamuis latroni reddat, nec peccet, nec obligetur domino; sed istud ius nullum est: ob id, non est necessaria ignorantia, melius dicendum puto cum Alexan.

Quis restituere teneatur ratione rei benè acceptæ.

CAPITULUM XVII.

Altera radix restitutionis est, res benè accepta à domino, qui in alterius existens potestate, ipsum obligat ad restitutionem. Hæc autem res præcipuè quatuor modis habetur, commodatione, locatione, pignoratione, & deposito. Qui igitur rem alterius hæc via habet, tempore statuto completo, reddere tenetur, dummodo tamen illa res non perierit: nisi enim perierit, amplius non tenetur, nisi in quatuor casibus. Primus, quando ex malicia, vel negligentia ipsius habentis perierit: ex malicia quidem, si vendidit, vel eam alienauit: ex negligentia, si non adhibuit diligentiam, quam tenebatur. Ea autem debet esse mediocris, & maior, si pro deposito conseruanda pecuniam accepit; maiorque debet esse diligentia in commodato, quam in deposito, quia illud est in propriam rem: nulla tamen negligentia obligat ad restitutionem,

O o

quæ

quæ non sit mortale peccatum. Cum verò res perijt, non ex negligentia, vel malicia habentis, sed quia fortè furto sublata est, vel perdita, vel mortua, non est obligatio restitutionis, nisi in secundo casu, cum conuerit illam rem ad alios vius, ad quos eam non accepit, & ex tali conuersione res perijt, g. locat quis equum alicui, vt eat Neapolim, ipse proficiscitur Mediolanum, si in via à latronibus rapiatur, tenetur ad restitutionem, quia non accepit equum à locante ad talem finem. Similia sunt alia exempla in alijs.

Tertiò, cum est in mora reddendi alienum, & in tali mora perit res: verbi gratia, qui noluit reddere depositum, vel pignus, vel commodatum, vel locatum, quando tenebatur reddere, & poterat, si, illo tempore res pereat, restituere tenetur, vt qui equum locat pro tribus mensibus, & ipse differt in locum, ac in quarto perit, tunc tenetur reddere maximè si ex mora perit. Similiter si furto rapitur pignus tempore mora, tenetur reddere.

Quartò, cum conuentio facta est inter ipsos dantem, & recipientem, vt res pereat in damnum recipientis; tunc enim tenetur iste restituere. Extra hos casus, res perit domino, non autem ipsi habenti. Aduerte autem, esse commodatum, cum res eadem redditur, quæ datur; mutuuum autem, cum reddatur æquiualens, aut pretium. In mutuo autem res non perit, nisi in damnum recipientis, vt dicendum est postea.

Ad hanc obligationem, ratione rei bene acceptæ, reduci potest obligatio restituendi res inuentas. In cuius gratiam nota Tripliciter se habent res inuentæ.

Quædam sunt, quæ non apparent vllum habuisse dominum, vt lapilli, & gemmæ, quæ in locis, vbi naturaliter generantur, apparent, vt ad maris littora, vel in aliquibus montibus, & qui inuenit eas, potest sibi habere; non enim obligatur restituere, cum nullius essent.

Aliæ sunt, quæ probabiliter dominium habent, aut ipsam, cuius erant, aut hæredes, quales sunt hæc, quæ potius inuentæ solent in vijs, aut in domibus ab alijs emptis, quamuis absconditæ sint in muris, vel cauernis aliquibus; & has inuentor tenetur domino reddere, & facere diligentiam aliquam, vt inueniat (expensis sumptis ex ipsa met re inuenta) domino autè non comparente, secundum sententiam communem, debent reddi pauperibus. Quamuis ad hoc, non sit alia cogens ratio, nisi quia sic omnes doctores dicunt. Vnde Soto lib. 5. quaest. 3.

art. 3. dubius est de hoc, tamen condescendit opinioni communi. Verum est, si inuentor esset pauper, posset sibi aut totum, aut partem pro ratione necessitatis applicare, & maximè cum consilio Confessorum, licet hoc non sit necessarium, ut dicit Soto. Si autem post inueniretur dominus, amplius non tenetur iste reddere, si sufficiens facta fuerit diligentia, ut inueniretur dominus.

Quædam aliæ sunt res, quæ dominum habuerunt, sed iam non habent, ut thesauri vetusti, quorum dominus ignoratur, & si quis inuenit tales in fundo proprio, totum sibi vindicare potest; si in alieno, mediam partem, si domini voluntate extrahit, si enim ipsi inscio, totum perdit. Sunt tamen leges particulares Principum, aliquas sibi partes reseruantium, quibus parandum est, & est restitutio facienda, etiam ante sententiam. Dicit autem vnum S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. quem aliqui sequuntur: quod si quis in alieno agro sciret esse thesaurum, posset emere, non admonito domino, & postea totum sibi sumere, quia dominus agri non vendit nisi superficiem, & huius habet pretium suum. Aliqui tenent contrarium, sed quia in rebus moralibus securè potest tantorum opinio amplecti, nos eam sequimur. Hæc igitur est secunda radix restitutionis.

De tertiâ radice, quæ dicitur iniusta actio.

CAPVT XIX.

Tertia radix restitutio est iniusta actio, qua, quod alterius est, auferitur. Est autem maximè notandum pro tota hac materia, esse peccata in duplici differentia, quædam sunt contra solam Dei charitatem, vel proximi, quædam sunt contra iustitiam: v. gr. si quis non dat elemosynam proximo in maxima necessitate posito, peccat contra charitatem; si quis autem non reddit quod debet, peccat contra iustitiam.

Est autem generalis regula: ex peccatis contra solam charitatem, nulla erit obligatio restitutionis, nisi sit ratio iniustitiæ ibi coniuncta. Vnde, ille, qui non dedit elemosynam, peccauit quidem, sed ad restitutionem non tenetur, & hoc in multis casibus sequentibus manifestatur. Hinc fit, ut actio iniusta, quæ radix est restitutionis, debeat esse sic mala, ut

fit contra iustitiam, alias non obligat ad restitutionem: hinc fit vt mulieres accipientes pretium pro vitio carnis non obligentur ad restitutionem, quia actio ista non est mala contra iustitiam, quamuis sint virgines, & coniugatae, & cum suis conditionis, vt habet Anton. 2. part. tit. 2. c. 1. & quamuis accipiant pecunias in excessu, vltra pretium actus turpis, si libere dantur illis. Esset quidem obligatio ad restitutionem, si aliquando iustitia immisceretur, quae duplex esse potest; altera, cum qui dat, non potest dare, quia seruus est, aut filiusfamilias, non habens proprium in tanta quantitate, quantum dat. Altera est, cum fraude extorquetur ab illo pecunia, puta, cum femina non virgo se virginem fingit, aut quae communiter alijs se tradit, mentitur se non tradi nisi nobilissimis, ob idq; plus pecuniae extorquet: in his casibus iniustitia est, & tenetur femina illa restituere quod ratione iniustitiae plus exegit. Ad hoc igitur mala obligans ad restitutionem, debet esse contra iustitiam. Haec autem praecipue quadruplex est: impedire, ne alius bonum consequatur, quod alias erat consequutus: inferre alteri damnum: accipere, quod alterius est, ipso inuito: detinere etiam quod alterius est, ipso inuito.

In primis, de eo, qui impedit alium à consequutione rei, quam alias erat habiturus, fit regula generalis noranda: qui impedit iniuste alium, ne consequatur id, quod alias iuste erat consequuturus, tenetur eidem ad restitutionem. Explicatur hoc.

Duae sunt conditiones, vt impediens obligetur ad restitutionem.

Alteri, vt impeditus possit iuste habere rem, à cuius consequutione impeditur, cum autem non potest iuste habere, quouis modo quis impedit, non tenetur reddere, quia non infert ius alterius. Vnde, qui impedit indignum, ne consequatur beneficium, licet possit peccare mortaliter, quia ex odio facit, vel illicita via, non tenetur ei quicquam reddere, quia non habet ius. Nec satis est, posse habere iuste, sed quod habiturus esset, nisi ille impediisset: nam non dicitur impedimentum verè, nisi cum res alias habenda, prohibetur ne habeatur. Non tamen satis hoc est, sed opus est, vt qui impedit, aliqua via iniusta, non solum mala, sed contra iustitiam impediatur. Si enim ex odio impedit, vel precibus circa eum, qui dare vult, subis vel pollicitationibus, vel alia via etiam mala, & contra charitatem, non tenetur restituere, nisi sit via contra iustitiam, puta,

fit vis,

vis, aut dolus, aut fraus: verbi gratia, vult Episcopus dare beneficium digno, si quis impediatur, imponendo ei falsum testimonium, vel detegendo crimen omnino occultum, licet verum; vel dignum cogendo, aut decipiendo, ne compareat, tenetur restituere ei beneficij valorem, quia iniusta via impedit. Et attende cum sancto Thoma 2. 2. q. 62. art. 2. quod si iam firmum erat Episcopo, illi dare beneficium, vel accepturus habebat certum ius, restituendum est ei in totum, licet actu non habebat; cum vero ius habebat probabile, in parte, pro maiori, vel minori probabilitate, secundum quam certum habebat beneficium, cessante impedimento: cum enim probabile est, illum non accepturum fuisse beneficium, non est obligatio restitutionis. Quod dicimus de beneficio, dicendum est de testamento, ut bene dicit Soto, lib. 4. q. 6. art. 3. qui enim firmam voluntatem dandi alicui impedit contra iustitiam, tenetur restituere illi, cui dandum erat; dicat quicquid velit Syl. restitutio. 3. §. 12. Similiter, qui impedit contra iustitiam operarios, & eos, qui negotia tractant, obligatur restituere. Ob id multum videant iudices, ne detineant iniuste homines operarios, & negotiatores in carceribus: obligantur enim restituere eis omnia, quae aliis illi lucrati essent illo tempore iniustae detentionis.

Altera iniusta actio est, damnificatio, qua alicui nocentum infertur contra iustitiam. Haec autem potest esse, aut in anima, aut in corpore, aut in rebus: de honore enim & fama, dicemus in praecipuo octavo. Ille nocet in anima, qui causa est alteri, ut mortaliter peccet, vel aliquem errorem contra fidem imbibat; & qui hoc contra iustitiam fecit, puta, dolo, & fraude tenetur veritatem aperire, si tale peccatum continuatur; si vero non dolo, nec fraude, sed vel precibus, vel pollicitationibus, non tenetur. Et hoc idem dicendum est, de eo, qui monachum extrahit à monasterio: si enim vi, vel fraude extrahit, tenetur rescindere vim, & fraudem; ut, si ille velit regredi, possit. Quod si non regrediatur, non tenetur loco eius intrare, ut aliqui dixerunt; tenetur tamen ad satisfactionem aliquam monasterio, si ille monachus erat multum frugi, & utilis monasterio, ut docet Soto lib. 4. q. 6. art. 3. Si autem non vi, vel fraude extrahit, sed precibus, ad nihil tenetur, sed solum manet peccatum contra charitatem. Ille nocet in corpore, qui occidit, percudit, vulnerat, vel mutilat, & si ille, cui nocetur, est servus, tenetur nocens restituere domino totum damnum; ut, si occi-

dit, tenetur reddere pretium illius, & expensas in illo curando consumptas; si vulneravit, vel mutilavit, debet etiam expensas curationis, & totum id, quod minus valet feruus, ob illam læsionem. Si autem liber est, tenetur nocens reddere familiæ, & hæredibus necessarijs, puta filijs, & parentibus, damnum, quod ex morte incurrerunt: ut si pauperis erant, & ad oculum alebantur, nocens eos alere tenetur: si non manent occisus, unde alantur illi. Si verò operarius est vulneratus, vel mutilatus, nocens tenetur reddere expensas in curatione consumptas, & totum, quod perdidit illo tempore: & si forte amplius laborare non valet, sunt opera eius ipsi restituenda. Cum verò non est damnum aliquot, nisi curationis; vel est, sed illi alii non volunt acceptare restitutionem, non tenetur amplius nocens. Hæc autem intelliguntur de nocimento illicito, scilicet si sine peccato fiat. Qui autem nocet in rebus, comburendo domos, vineas, & alia destruendo, tenetur etiam talia restituere, cum contra iustitiam fiunt, non solum quando ipse fecit, sed cum filij, serui, famulive ipsius talia faciunt. Nam si ipse consentiente ista facta sunt, totum tenetur reddere, si verò non consentiente, tunc debet reddere personas, quæ id fecerunt, si potest. Idem est de boue, & animalibus, quando damnū intulerunt in agris; si enim negligentia ipsius damnū factū fuerit, tenetur totum reparare; si verò non, ipsum animal tradere, ut et ipso pæna sumatur, nisi id velit rescire. Atque his modis actio ista secunda iniusta committi potest.

De restitutione iniusta acceptionis, & detentionis.

CAPVT XX.

ALia actio iniusta, unde nascitur obligatio restituendi, est iniusta acceptio, qua aliquid capitur iniuste domino. Ob quam rationem, tenentur restituere latrones, fures, raptores vsurarij, & hi, qui iniquos contractus exercent, de quibus in particulari postea dicemus: nunc tamen de quatuor acceptionibus tantum dicendum est, puta de cessione lignorum in syluis, venatione ferarum, & auium etiam captione, ac piscatione.

In cuius gratiam nota: sylus, aut montes, in quibus arbores cædi solent, tripliciter se habere possunt. Quædam sunt ipsorum

in castellorum, aut urbium communes, tamen sub pœna quadam cæsi prohibentur. Quædam sunt ipsorum dominorum urbium, puta Ducum, Principum, & similibus. Quædam hominum particularium. Adde etiam; quædam sunt urbium, aut castellorum vicinorum, & proximorum. Hoc autem generaliter in omnibus obseruandum est, cum pœnæ aliqua impositæ sunt cædentibus, quamuis quis cædat, non obligatur ad pœnam soluendam, quousque comprehendatur, & condemnatur: tamen quantum ad restitutionem circa istam pœnam in conscientia.

Dico primo, si syluæ sunt communes, quamuis incola, aut cuius urbis, vel pagi cædat in utilitatem propriam aliquot arbores sine facultate, non peccat mortaliter, nec obligatur ad restitutionem: nam talis pagus aut ciuitas, hoc modo & via intendit distribuere suis ciuibus arbores, ut cædant; si tamen comprehendatur, pœnam soluat. Est autem pœna posita, ne syluæ citò destruerentur, & consumerentur: verum est, quòd si magnam stragem faceret, obligaretur ad restitutionem.

Secundo, si syluæ sunt particularium hominum, absque dubio, peccatum est cædere absque facultate domini, & obligat ad restitutionem, & hoc etiam dicendum est de eo, qui, cum sit vnius pagi incola, cædit syluas alterius pagi; quamuis si inuicem homines illorum pagorum aut castellorum solerent syluas proprias aggredi, & cædere, iudicaretur hoc, ac si sylua propria esset illi pago, in quo cædens est incola.

Dico tercio, cum syluæ sunt dominorum, non licet etiam cædere, obligaturque cædens ad restitutionem, quamuis in hoc non sit tam arcta regula, ac si esset particularis cuiusdam. Unde dicit Soto, quòd possent pauperes cædere ligna ad usum foci proprii necessaria, & domini multum in hoc considerare debent, ne graues pœnas presertim corporis imponant subditis: nam arbores, quas natura dat sponte, non sunt tam propriae, ac pecuniæ in area repositæ.

Per hæc possumus etiam respondere de piscatione. Nam si flumina sunt communia urbi, & ciuitati, tunc eodem modo piscans non tenetur ad restitutionem, quamuis piscetur, sed ad pœnam post condemnationem, si comprehendatur. Si vero aquæ sunt particulares alicuius, permanentes, ut lacus, stagna, non licet absque peccato obligante ad restitutionem; quamuis, si essent aquæ transeuntes, non esset obligatio ad restitutionem. Attende tamen, quando fiunt in ciuitatibus

prohibitiones piscandi, ob bonum commune, quia pisces omnia fouent, & piscatio inducit penuriam, tunc peccatum esset piscari, licet nulla esset restitutionis obligatio.

Circa venationem autem attende, eandem esse rationem: non enim est obligatio ad restitutionem, nisi locus, in quo fit venatio, esset muro circumdatus, tunc non liceret intrare ad venandas feras, essetque restitutio facienda; quamuis si extra murum esset, posset occidi, & capi; & si non sit murus, si pactum est inter dominum, & incolas, quibus soluitur totum damnum, quod ferae in ipsorum terris faciunt, non liceret venari absque restitutione. Cum vero non soluitur totum damnum in integrum, nulla est obligatio; immo, si damnum ciues paterentur, non solum non obligarentur ad restitutionem, sed absque vilo peccato liceret ipsas occidere, & capere.

Circa aues notandum est, quasdam esse omnino domesticas, & eas capere, peccatum est obligans ad restitutionem: quasdam vero omnino sylvestres & vagas, quae non habent firmum locum, & has aucupari intra loca murata aliorum, non obligat ad restitutionem, quia nullius sunt: non enim permanent sicut arbores: quamuis peccatum esset capere, cum ad bonum commune aliquo tempore fit prohibitio: quasdam partim domesticas, partim sylvestres, ut columbas, has capere in locis proprijs, vbi nidificant, ut in columbarijs, obligat ad restitutionem, cum dominum proprium habeant: similiter etiam, ipsas capere intra spatium permixtum perloges, dum modo alantur à dominis proprijs: cum enim multis eis cibus à proprijs dominis datur, ob idque terras aliorum deuaflant, possunt licite capi à dominis terrarum & agrorum, quibus damnum inferunt: extra spatium autem determinatum, cum nimis vagantur, possunt capi, ac si essent omnino sylvestres; maximè tamen à dominis locorum, in quibus vagantur, nec ad restitutionem obligatio esset. Haec igitur est actio iniusta, ad restitutionem obligans, & sicut acceptio iniusta obligat, ita iniusta detentio, cum quis detinet alienum, ipso domino inuito. Atque
haec est tertia radix restitutionis.

De quarta radice restitutionis.

CAPVT XXI.

Quarta restitutionis radix est, iusta acceptio; cum qui habet, seu accepit quid alterius, sed iusta actione, puta, mutuo, emptione, alioue licito contractu, ratione cuius tenetur reddere alteri. Notanda tamē est differentia inter iustam actionem & iniustam: cum enim obligatio restituendi est ratione iustæ actionis, non transit nisi ad hæredes. & fideiussores illius, qui tenebatur reddere, nec alia genera personarum reddere tenentur; cum verò ex ratione iniustæ actionis, non solum qui iniuste agit, sed etiam octo genera personarum reddere tenentur; numquodq; in solidum & integrum. Sunt autem personæ hæc.

Qui iussit seu præcepit, vt damnum alteri fieret, vel ab altero, quod suum est, inuito raperetur.

Rursus, qui ratificauit, id est, in cuius nomine, ipso nesciente, actio iniusta facta fuit; si tamen postmodum sciuit & approbavit: secus tamen, si tantum factū approbavit, quod antea in eius nomine non fuit factum; aut in nomine ipsius fuit factum, sed non approbavit: tunc enim non obligatur ad restitutionem.

Rursus, qui consilium dedit, qui consensit, qui dedit fauorem. Ista tamen intelligenda sunt, cum consilium, consensus, & fauor fuerunt causa, vt fieret iniusta actio, quæ tamen aliter non fieret: tunc enim obligat ad restitutionem; secus si causa non fuerint.

Rursus, participans & cooperans in actione iniusta tenetur restituere. Sed aduerte, cum cooperans talis est, vt, nisi cooperaretur, actio iniusta non fieret. puta, furtum, rapina, vel damnum, tunc tenetur in solidum restituere, quia est integra causa; & si alij cooperatores non soluant, tenetur totum reddere. At si non fuit tota causa, quia alias sine illo furtum fieret, tenetur solum reddere partē acceptam, aut partem damni illati. Quod si illius opera factum est maius furtum vel damnum, quam alias fieret, talem excessum tenetur in solidum restituere.

Rursus, non obstans, id est, qui non prohibet, cum possit commodè damnum alterius, tenetur restituere. Sed attende,

quod non satis est posse, sed ex officio obligari ad id. Unde si vicinus videat furem in vicini domo furantem, & tacet, cum possit clamore prohibere furtum, peccat quidem mortaliter, & contra charitatem, sed non contra iustitiam; quia non est ex officio incumbit; ob id non obligatur restituere, quicquid velit Caiet. verba restitutio; immo si acciperet pecunias a latrone, vt taceret, non teneretur restituere, vt dicit Soto lib. 4. q. 7. ar. 3. Teneretur tamen, si esset famulus vel iudex, vel si ex officio incumbit ista prohibere. Et sic tenentur iudices, qui debitam diligentiam non faciunt in locis, in quibus resident, ne damna inferantur.

Rursus qui non manifestat, id est, qui sua taciturnitate & occultatione causa est, vt alius suum non habeat. Hoc etiam intelligendum est, cum ex officio incumbit; & hoc modo tenetur in iudicio contra aliquem, veritatem occultans, tenetur restituere damnatum, quod ille incurrit, cum causa fuit. Dico, cum causa fuit, quia si iam alij testes falsi praecesserant, qui suffragabantur ad condemnationem, nec iste quicquam negotio subicit, non tenetur; & hoc modo excusat Caiet. a restitutione, sed non a peccato. Illi vero qui suffragantur publice in negotiis & causis determinandis, cum iam vident maiorem partem in vno inclinatum, quamuis iniuste, si ipsi etiam suffragentur, quamuis peccent, cum tamen causa non sint, non obligantur ad restitutionem. Hæ sunt radices quatuor, propter quas aliquis ad restitutionem tenetur. Sed est graue dubium inter doctores, cum actio dandi & accipiendi est iniusta, an obliget ad restitutionem: vt gra. cum quis dat pecunias alicui, vt alium occidat, & iudici, vt iniquam sententiam ferat, vnus male dat, & aliter male recipit, an qui recipit, ad restitutionem obligetur. In primis potest dari pecunia alicui, ne peccet, vt ne occidat, vel sacrilegus, ne fornicetur, in quo vnus bene dat, aliter male recipit; sed secundum Soto. lib. 4. q. 7. ar. 1. ad secundum, non obligatur qui accipit ad restitutionem semper, nisi cum accipit pecunias pro his, quæ secundum legalem iustitiam absque pecunia tenentur facere. Vt iudex, qui pro sententijs, vel alijs, pro quibus leges disponunt pecunias non esse accipendas, vel non tot pecunias accipit, tenetur restituere, & hoc modo post Concil. Trid. nullus pro ordinum collatione, quocumque preterea potest accipere pecunias, sess. 21. Can. 3. & si accipiat, dare tenetur. In alijs, in quibus non est prohibitum a lege, non tenetur, cum eas accipit nec peccat, quamuis cum discrimine. Nam si

dat pro peccato alterius vitando, quod erat contra iustitiam, ut, ne alter occidat, ne sit sacrilegus, tunc potest coram iudice repetere, & audietur in iudicio: & sic intelligitur. l. vt pura. ff. de condict. ob turpem causam. Tamen qui accepit, ante repetitionem, non tenetur dare, nisi vi acceperit. vt, qui accipit pecunias ab alio, quem volebat occidere, ne ipsum occidat. Si tamen peccatum non erat contra iustitiam, nec tenetur restituere, nec potest repetere. Nam potest esse datio & acceptio mala, quia est pro re turpi, & ob peccatum, sed non contra iustitiam vt, qui dat pro fornicario actu: & his, vt dictum est, non tenetur restituere qui accepit. Rursus est datio & acceptio mala, quia res, pro qua pecunia datur vendibilis non est, vt in simonia, & de hac post dicemus. Tandem est datio & acceptio mala, quia datur pro re contra iustitiam, vt in exemplis præpositis de homicida & iniquo iudice. Et de hoc casu est controversia, in qua duæ existunt opiniones celebres.

Altera est, qui accipit, obligari ad restitutionem, non quidem domino, qui male dando ius suum perdidit, sed pauperibus. Hanc opinionem tenet Caiet. ver. restitutio, Soto loco allegato. Adr. q. 19. supra 4.

Altera sententia est aliorum, qui tenent non obligari ante condemnationem, sed posse qui accepit retinere. Hanc tenent Anton. 2. p. tit. 2. ca. 5. Sylu. restitut. 2. §. 3. Ange. ver. restitutio, §. turpe. Nauarr. cap. 17. nu. 34. & quia ista res est moralis, in qua multi doctores rem faciunt probabilem, possunt esse tuti in conscientia qui acceperunt, licet non restituant, quia insignes doctores id docent. Quorum sententia etiam mihi placet quia opposita solum fundatur in duabus legibus, quæ nihil probare videntur; est enim l. generaliter. ff. de verb oblig. vbi habetur, turpes stipulationes nullius valoris esse, sed hoc non concluditur; solum enim intendit in iudicio exteriori non esse efficacem illam stipulationem, cum possit repetere qui dedit. Rursus est in hæredem de calumniat. vbi dicit, acquisita ob turpem causam, esse etiam ab hæredibus extorquenda; sed idem est huius sensus: datur enim in iudicio locus repetitionis, sed ante sententiam non obligatur qui accepit, reddere, bonum tamen esset si redderet, & Confessarius consilium hoc dare debet, sed non sub præcepto imponere. Et hæc sufficiant.

Quid

Quid sit restituendum.

CAPVT XXII.

HAstenus qui restituere teneantur, diximus, unde quid restituendum sit, dicendum est; sunt enim quatuor obseruandæ regulæ circa hoc.

Prima est: Qui ratione rei alienæ restituere tenetur, ipsammet, nisi quid obstiterit, reddere debet. Explico. Diximus superiorius, aliquos teneri ad restitutionem, quia rem alterius, sine malè, siue benè acceptam apud se habent, vt fur, qui apud se vas alienum, vel alias res habet, & ille qui commodato vel locato habet rem alterius, vel alio quouis titulo iusto: omnes hi debent eandem rem reddere, nec satis faciunt dando valorem, nisi in aliquibus casibus.

Quorum primus est, cum res deperdita est, seu alienata ab ipsius potestate: tunc enim valor reddendus est. Sed aduenire oportet quæ supra diximus. Qui enim rem benè acceptam apud se habuit, si pereat absq; culpa, vel malitia sua, non tenetur reddere valorem. Rursus, qui rem malè acceptam apud se habuit, sed bona fide habuit, si in illa bona fide perijt, non tenetur reddere valorem. Ille igitur reddet, qui in mala fide rem habuit & perijt, illo sic existente.

Secundus est, cum res est multò peiorata, quàm cum fuit accepta; tunc enim valor reddendus est, aut res cum valore lapsente defectum, prout dominus elegerit; sed hoc etiam iuxta dicta intelligendum est. Qui enim benè acceptam rem habet, si sine sua culpa vel malitia peiorata est & deterior facta, non tenetur amplius, quàm eandem reddere, nisi negligentia vel malitia id sit factum. Vnde, qui in pignus accepit pannum, si postea tinea corrodat, idq; non fiat sua culpa, non tenetur reddere, nisi eo modo quò est. Teneretur quidem, si culpa propterea id euenisset; idemq; dicendum est de alijs benè acceptis. Rursus idem dicendum de eo, qui malè acceptam rem apud se habet, sed bona fide. Est igitur casus intelligendus de eo, qui mala fide alienum habet, & detinet.

Tertius est, quando sequitur peccati manifestatio. Vnde qui alienam rem habet, si non potest eandem reddere, nisi manifestetur peccatum ipsius accipientis, non tenetur nisi valorem reddere. Et idem est, quando sequitur aliquod notabile inconueniens, licet peccatum non manifestetur.

Seruan-

Secunda regula est, qui ratione rei malè acceptæ, aut ratione malæ actionis & iniustæ tenetur restituere, debet non solū rem vel valorem, sed etiam fructus, quos ex se talis res fecit, reddere. In cuius explicationem aduerte: Aliqua res potest facere fructus dupliciter, vno modo ex se absq; industria habentis, aut saltem cum aliqua industria, quales sunt agri ex se fructificantes, & alia huiusmodi, vt animalia, oues, armenta: alie sunt quæ non fructificant, nisi ex industria dominorum, vt pecuniæ, quæ ex se non pariunt, nisi adsit negotiatio hominū. Qui igitur acceptam malè rem habet, aut malè accepit, non tenetur restituere fructus, quos res ex ipsius industria fecit. Vnde si latro furatus est centum aureos, & illis negotiatus, lucratus est mille, non tenetur ista mille reddere. Rursus, vsurarius, qui pecunia malè accepta negotiatur benè, & lucratur, non tenetur reddere lucrum: at tenetur reddere fructus, quos res ex se faciunt, deductis expensis. Vnde, qui agros alienos iniustè detinet, tenetur etiam fructus factos soluere, deductis expensis; & qui equum locationis furatus est, tenetur lucrum, quod in eius potestate fecit, reddere cum re ipsa.

Hic tamen duo notare oportet. Alterum est, qui rem malè acceptam habet, sed mala fide, tenetur nō solum fructus, quos ex se res fecit, reddere, sed quos fecisset in potestate Domini: verbi gratia, furatus est quis equum locationis, tenetur reddere lucrum, quod domino proueniebat, quamuis ipse nulli locauerit equum: & qui vineas alienas iniustè habet, & mala fide, tenetur reddere fructus, quos apud dominum fecissent, quamuis ipse sua negligentia nullos perceperit. At qui bona fide habet non tenetur nisi de perceptis.

Alterum est. Qui malè accepit rem alienam, aut mala fide habet, tenetur de damno illato & emergenti: verbi gratia, furatus est quis centum aureos alicui, iste verò postea coactus est ad habendam pecuniam, qua possit suæ necessitati prouidere, domum vendere minoris quam valebat, aut sumere cēnum ad vsuras, fuit tenetur non tantum reddere centum, sed etiam vsuras quas contraxit, vel illud pretium quod ille perdidit de iusto valore domus. Idem dicimus de damnificatione: qui destruit vineam vel domos alterius, tenetur de damno emergenti. Tenetur etiam de lucro cessante, vt, si pecunias negotiationi expositas rapuit, tenetur de lucro cessante domino ipsi. At qui bona fide alienum habet, solum quod alienum

est teneretur reddere, nihil amplius nisi in malam fidem incidat, & post malam fidem dominus verus damna incurrit: tunc enim perinde est, ac si à principio in mala fide esset.

Tertia regula. Qui ratione rei bene acceptæ restituere tenetur, non obligatur fructus dare, quos ex ea habuit. Explicatio habet quis pecunias in deposito, si eis negotietur & lucretur, non teneretur quicquam lucri dare domino, dum non sit in mora reddendi depositum, cum reddere debet. Rursus, qui vas ali- quod vel vestes habet pro pignore, si aliquando eis utens ali- quid lucretur, non teneretur reddere lucrum, sed id solum, in quo talis res deterior facta est, si forte facta est ex tali usu.

Quarta regula. Qui ratione iustæ acceptionis teneretur restituere, non obligatur reddere, nisi quantum accepit, non tamen fructus. Vnde, qui mutuò accepit, vel sub vèditione & emptione, vel alio licito contractu, debet reddere quantum accepit, non tamen fructus partos ex usu & negotio. Notandum tamen quòd si est in mora ex culpa sua, teneretur reddere damnum emergens domino, & lucrum etiam cessans. Explicio: In primo si non est soluendo, nec id ex culpa sua est, non teneretur, si cum primùm poterit reddere quantum accepit; tam si culpa sua intercedit, nimirum quia habet unde soluat, & non vult, vel ipse ludendo vel prodigendo, vel alia similia faciendo, in causa est, vt non habeat; quamuis etiam rectè pecunias ex- derit, vt, qui sciens se soluere debere mense sequenti pecunias voluit prius absq; necessitate expendere in alijs negotijs: tunc tenentur domino, & creditori soluere damnum emergens, id est illud damnum quod creditor incurrit, coactus ex illa dilacione; vt, si ex eo, quòd non soluit debitor, factum est, vt creditor domum venderet minoris quàm valebat, vel pecunias sub usuris caperet, teneretur debitor talia damna refarcire. Damnum tamen quod creditor coactus incurrit: nam si aliter poterat libere venire sibi quàm damnum incurrendo, non teneretur debitor de damno emergente, sed de lucro cessante; vt, si forte creditor expositurus erat negotiationi pecunias, si debitor non reddat, cum debet, teneretur de lucro cessante, non de damno emergente, si velit mercator pecunias ad vsuras sumere, vt exponat, si forte coactus sit eas exponere negotiationi.

Cui restitutio sit facienda.

CAPVT XXIII.

Tertium caput discutiendum est, cui sit restitutio facienda. Aduerte, esse quatuor genera personarum, ad quas res aliqua pertinere possunt. Quidam sunt domini veri & legitimi rerum; quidam secundum quid, seu ratione alicuius potestatis; ut, qui detinet depositum alterius, locatum vel commodatum alterius, & denique quod alienum est. Quidam sunt hæredes verorum dominorum. Quidam sunt pauperes ipsi.

Sit igitur prima regula. Illi est restitutio facienda, à quo accepta est res; si accepisti à vero domino, ipsi est reddenda; si ab habente in deposito vel commodato, ipsi etiam est reddenda, quamuis possit etiã reddi vero domino. Sed cum est periculũ, ne ille non reddat vero domino, cum redditur, debet ille moneri, ut vero domino reddat: tamen hoc non est necessarium, sed sufficit ei reddere, à quo ablata est res. Excipiuntur tamen aliqui, quibus non est reddenda res, ita ut si reddatur, peccatũ sit, sed non contra iustitiam, ut obliget ad restitutionem, sed contra charitatem proximi.

Primus, qui excipitur, est latro: qui enim accepit à latrone, quod furto sustulerat, non tenetur ei reddere, quamuis id affirmet Caiet. verb. restitut. nec etiam tenetur secundum iustitiam domino reddere, ut vult Soto lib. 4. q. 7. art. 1. sed potest reddere latroni, tamen contra charitatem faciet nisi domino reddat: quod si timet sibi malum à latrone infligendum, nisi ipsi reddat, nec contra charitatem faciet reddendo, quod ab ipso recepit. Idem dicendum est de eo, qui accepit à puero, qui proprium non habet. Idem dicendum est de furioso, & de prodigo: quamuis, qui daret prodigo, qui vsurus sit malè pecunijs, contra charitatem non peccaret dando, ut dicit Soto, si ipsum moneret, ut bene expendere: si tamen daret illi, qui abusus est pecunijs contra iustitiam, alijs damnum inferendo, peccaret grauitè, sed non obligaretur ad restitutionem aliam. Excipitur etiam dominus, cum ita absens est, ut non possit ei commode, quod datum est, mitti; præferri si quod tenetur reddere, non accepit malè: si enim malè accepit, tenetur aliquot expensas

ex se

ex se facere, vt dominus verus suum habeat integrè, sed non, si benè accepit, nisi eum domini proprii expensis; cum verò nullo modo potest mitti, non ipsi facienda est restitutio, sed expectandum; & si nulla est spes, reputatur debum incertum.

De quo secunda regula sit: Cùm non extat verus dominus, nec is, à quo sublata est res, tunc hæredibus facienda est restitutio. Aduerte autem esse hæredes in duplici differentia: quædam sunt necessarii, qui non possunt exhæredari, nisi ex causa legitima, vt filij, patres; quidam non necessarii, quibus non obuenit hæreditas, nisi ex legato, vel deficientibus necessarijs, vt fratres & alij cognati. Omnibus his est restitutio faciendæ, quæ his, non ratione iniuriæ, sed ratione rei acceptæ, aut male acceptionis, debetur, suo tamen ordine: non enim res obuenit non necessarijs, existentibus necessarijs. At restitutio, quæ ratione iniuriæ fit, vt, ratione alicuius homicidij, non est nisi necessarijs faciendæ, secundum Soto lib. 4. quæst. 3. ad 3.

Deficientibus autem domino, & hæredibus, tunc sit restitutio, faciendæ est restitutio pauperibus. Per pauperes autem intelligimus etiam opera pia, quæ in hospitalia, in monasteria & alia pia conferuntur loca: nec opus est vt ista distribuatur per Episcopos, sed potest ipse qui habet, distribuere; immò si pauper sit, potest partem sibi retinere, vel totum, si toto indiget. Aduertendum tamen, quòd non debet talis distributio fieri, si veri domini cognoscuntur, aut nisi præmittatur de eorum diligentia, qua non præmissa, non vere satisfacit: immò si post dominus compareret, oporteret iterum reddere, licet si diligentia esset præmissa. Similiter non possunt fieri compositiones de incertis dominis, nisi prius diligens inquisitio, vnde sibi notarij & procuratores caueant, qui videntur compositionibus, nulla facta inquisitione erga proprios dominos, faciunt vendentes vltra iustum pretium.

Quantum, quomodo, quando sit restituendum.

CAPVT XXIV.

Quantum autem sit restituendum, ex his, quæ diximus in explicatione eius, quid esset restituendum, magna parte notum est, solum tamen duo superiunt.

Alterum, de iniuria, quæ pecunia satisficit. In hac autem, quantum restituendum sit, oportet viri prudentis iudiciū quæ-
rere, consideratis personis, & iniuria; non autem est standum
iudicio eius, qui iniuria affectus est.

Alterum autem est, de damno illato his rebus, quæ nondū
ad perfectum valorem venerunt, vt de destruente seminata,
vel occidente animal in ætate tenera, vel destruente ea quæ
ventura sperantur ad maiorem valorem. His pretium est, quā-
rum res in perfectione valitura erat, deductis expensis, quas
dominus facturus erat, & computatis periculis quæ intersunt
vix ad rei perfectionem, Nam minùs valet res cum periculo
quam certâ; & minus cum minori periculo. At quia domini
nolent vendere talia pericula, ob id restitutio est facienda, ali-
quantò plus quam periculum valet, cum damnum ex malitia
& non casu factum est, vt dicit Soto q. 6. ar. 5. lib. 4. quando
verò casu aliquo sufficit reddere computando totum valorem
periculi, & expensarum.

Quomodo autem sit restituendum, aduerte, quod oportet
aliquem per se, vel per alium restituere, dum tamen sit certus
probabiliter, cum per alium restituit hunc reddere domino,
quod reddendum accepit. Est autem notandum esse discrimē
inter commodatum & mutuum: qui enim dat alicui rem com-
modatam, vt domino reddat, si talis, cui dedit, erat persona se-
cura, & cui potuit benè fidere, si postea accidat, vt ille non red-
dat, vel si cum commodato aufugit, non tenetur ad ampliùs,
quæ ei dedit, reddendum. Idemq; est de deposito & pignore &
alijs, in quibus obligatio restituendi accedit ex parte rei acce-
ptæ; quia si res perit, & non ex negligentia vel malitia habētis,
transfertur obligatio restitutionis. At in mutuo, non sic, nec in
alio contractu, in quo obligatio restitutionis nascitur ex ra-
tione acceptionis: quocunq; enim modo pereat, perit in dam-
num accipientis.

Aduerte etiam rursus, qui tenetur restituere aliquid domi-
ni in integrum & solidum, non satisficit reddendo per par-
tem, modo vnâ, modo aliam, si potest simul dare; quod si no-
ne se simul tota summa pecuniarum priuet, mortaliter pec-
cat, nisi excusetur illis causis, quibus excusatur aliquis, aut, vt
non restituat, aut, vt non statim restituat, quæ quidem paulò
superius dicentur.

Oportet nunc examinare quando est restituendum. Et qui-
bus responsio est, si restitutio est facienda, ratione rei malè

acceptæ, vbi mala fides adest, aut ratione malæ actionis, statim est facienda, cum commodè fieri potest; si autem est ratione iustæ actionis, debet statuto tempore fieri, si commodè fieri potest. Est igitur restitutio generaliter facienda, cum dominus est inuitus, & commodè fieri potest: vbi notandum est: Qui cum possit & debeat, non vult restituere, mortaliter peccat, & quod magis differt, grauius peccat, & quodies occurrat, & quod magis differt, grauius peccat, & quodies occurrat, commoda se offert restituendi, & non statim vult restituere, aut non curat aduertere, mortaliter rursus peccat. Vnde multum falluntur, qui debita, cum possint, nolunt soluere, differentes vsq; ad mortis testamentum, & qui sic discedunt, secundum communem sententiam, in peccato discedunt. Peccant etiam qui bona habent dubia, & de quibus certi non sunt, an propria sint & differunt id elucidare vsq; ad testamentum, in quibus etiam vt dubia relinquunt; cum teneantur statim, cum commodè possunt id declarare, & si fortè debeat, restituere.

Sed dices, quando dicitur aliquis posse commodè restituere?

Dico primò, cum aliquis non potest statim reddere absq; periculo propriæ vitæ, non tenetur statim reddere, sed potest differre.

Dico secundò, cum non potest etiam absq; periculo infamiae statim reddere, potest differre, nec tenetur statim reddere, & in his duobus omnes conueniunt.

Dico tertio, cum non potest statim reddere absq; detrimento notabili propriæ rei, quando creditor nullum tale detrimentum incurrit, non tenetur statim restituere. In hoc non omnes conueniunt. Explicanda sunt prius, in quibus consentiunt omnes. In primis Caietanus 2. 2. quæst. 62. artic. 8. inquit, non dicitur notabile detrimentum, quia debitor se priuat tota illa pecunia, quam debet, quamuis magna sit, aut quia perdit lucrum magnum, quod posset aliena pecunia comparare, sed dicitur detrimentum, quod in re sua propria vltra debitum patitur; quod cum magnum est, pura, quia cogitur multò minoris res proprias vendere quam valeant, aut quia redigitur in paupertatem, aut status mutationem, dicitur notabile detrimentum. Conueniunt ergo Doctores, cum detrimentum debitoris aliquod est, sed non magnum, tenetur soluere creditori, cum tempus est solutionis. Rursus cum creditor etiam in re sua notabile, & ferè æquale detrimen-

rum

rum incurrit, tenetur adhuc statim restituere. At cum paruum vel nullum creditor incurrit detrimentum, debitor autem notabile incurrit, an teneatur statim reddere, vel differre possit, in hoc Doctores variant. Caietanus verb. restituit. & Soto lib. 4. de iusti. quæst. 7. artic. 4. cum distinctione procedunt: dicunt enim, cum res malè accepta est, puta, furto, vel alio iniusto titulo sublata, tunc tenetur etiam cum notabili detrimento reddere; cum verò non est malè accepta, non tenetur, nisi sua culpa in tales se redegerit debitor angustias; puta, quia prodigus, & bonorum profusus fuerit. At Sanctus Antoninus 2. par. tit. 2. capit. 8. & Nauarr. capit. 17. num. 38. tenent neutrum illorum obligari cum notabili detrimento rem in hoc casu statim reddere. Et aduerte, quòd non loquimur de non restituendo in perpetuum; hoc enim postea dicitur, sed de non statim restituendo. Mihi profectò hoc videtur probabilius, puta, vt cum maiori detrimento teneatur restituere statim, qui ratione rei malè acceptæ obligatur; tamen non credo obligari cum notabili detrimento, cum postea restitutio facienda speratur: non enim auferitur, sed differtur.

Duplex dubium hic occurrit: Alterum est, an quis cum vitæ periculo teneatur reddere, quod alterius est, domino existente in eodem periculo. In hoc est diuersitas opinionum, Scot. dist. 15. 4. sentent. quæst. 2. & Nauarr. c. 17. nu. 60. dicunt teneri debitorem ad mortem subeundam, cum creditor simile periculum incurrit. Vnde, si duo essent in extrema necessitate, nec esset nisi vnus panis, quem alter ante necessitatem mutuo acceperat ab altero, tenetur reddere domino, & mori: Soto lib. 4. quæst. 7. art. 1. tenet contrarium, & Caietan. & Tabien. verb. restitutio, §. 4. dicunt non teneri, quamuis furto sustulerit, dummodo sit ante necessitatem. Nam in necessitate illa rapere, mortale esset obligans ad restitutionem; secus si ante accepit, quocumque modo acceperit, quoniam necessitas extrema quicquid est in sua potestate, facit suum. Et ego ita credo, illum non teneri, quamuis si vellet, dare, & reddere possit. Intellige autè illum non teneri, nisi alter esset publica persona, ex cuius salute tota dependeret salus reipublicæ: tunc enim tenetur dare, sicut tenetur obire, & mortem oppetere pro reipublica. In quo etiam casu peccaret, qui cum habere, alteri daret. In nullo autem casu licet ab altero in extrema necessitate rapere vi, vel furto. Nec mihi placet,

quod Soto dicit, putā quod posset aliquis dare pariter, illi, & uxori in necessitate positus, non tamen fratribus, & con-
quere creditorē, etiam in eadem necessitate eadem possum, sed potius cum Tabien. credo, oppositum: sibi enim solo pro-
dere licet, aliā melior est conditio creditoris.

De infamia autem non est eadem ratio, quia infamia non facit dominium rei. Vnde debitor cum periculo infamiae tenetur reddere, quando talis infamiae periculum est creditore, dummodò tamen non sit notabiliter maior fama, quam perdit debitor, tunc non tenetur. At tenetur, licet esset maior, si non multò, Nec est similis ratio de vitæ periculo: nam in vitæ periculo potest quis alienum capere, non tamen in periculo famæ.

Alterum dubium est, si is qui in extrema necessitate possum recipit ab aliquo aliqua, vel quia aufert, vel quia alter ei man-
strat, qui non est in eadem possum necessitate, is, in quam po-
neatur reddere, si postea ad pinguiorem venerit fortunam. Scot. & Soto locis allegatis dicunt, si possum in necessitate ex-
trema erat debitor alicuius ante talem necessitatem tenetur ea reddere: si tamen post euaserit & ad pinguiem fortunam re-
nerit, quæ in illa necessitate habuit, non tenetur reddere. Li-
mitat Soto, nisi talis in necessitate existens in alio loco habet tunc, unde soluere possit, ita vt non sit omninò indigens, sed in tali loco solum. Adrian. in mat. de restitution. & Nauar. c. 17. num. 89. tenent contrarium, illum omninò teneri, & ego ita credo. Et ratio quæ me mouet est ista, quia qui dat alteri in necessitate extrema possum, nō dat ex obligatione iustitiæ, sed charitatis, quia solum obligatur remedium illi præstare, ad quod sufficit charitas vt mutuet vel commodet, vel alio modo prouideat. Ille igitur tenetur restituere si post habuere red-
de possit, nisi qui dedit, simpliciter dederit, vt elemosynam, qua dominium transfert; sed ex sola datione in necessitate iustitia, non transfert sic dominium, vt ab ipsa restitutione libet-
tur, nisi sit res parua, quam verisimile est dantem do-
nasse omninò, aut elemosynam fecisse
illi, vt fieri solet paupe-
ribus.

Quo ordine, quoue loco sit restituendum.

CAPVT XXV.

ORdo restitutionis non est necessarius, cum debitor omnia potest soluere debita quæ contraxit; cum autem non habet unde omnibus satisfaciatur, ordo est seruandus, quæ Bald. tradidit c. de bon. aucto. iud. possid. l. pro debito, ipsumq; Doctores sequuntur communiter.

Ex ipsius doctrina aliquot desumuntur regulæ.

Prima, quando debitor habet apud se rem alterius quocumq; modo habeat, siue furto sublatam siue depositam, siue inuentam, debet prius restitutionem ipsius facere domino, vel pauperibus, domino deficiente, quia illa res nondum transiit in habentis dominium. Idemq; iudicat Bald. esse de re empta, sed nondum soluta. Restitutio igitur quæ ratione rei acceptæ faciendæ est, prius fieri debet.

Secunda regula. Cum restitutio est faciendæ ratione acceptationis seu actionis, oportet prius restituere certa, id est, ea, quorum domini cognoscuntur, quam incerta, id est, ea, quorum domini ignorantur.

Tertia regula. Inter certa prius est faciendæ restitutio debitorum licite contractorum, quam usurarum, quia in usuris acceptis dominus non fuit simpliciter inuitus. Hæc non est Baldi, sed est Tab. verb. restitutio, §. 25. quamuis Caiet. non consentiat in hoc.

Quarta regula. Erga alia debita certa, vel licite, vel per usuras contracta, obseruanda sunt iura, & si in aliqua ciuitate est aliquod particulare ius, ipsum est obseruandum, dummodo rectum sit; si verò nullum est, obseruandum est ius commune, secundum quod ius commune.

Primo loco soluenda sunt debita, ad quæ bona debitorum fuerunt expresse obligata & hypothecata.

Secundo loco dos vxoris extrahenda est, quamuis in aliquibus ciuitatibus primum locum obtineat, sed nos loquimur de iure communi.

Tertium locum obtinet fiscus.

Quartum, debita, ad quæ bona creditorum sunt tacite hypothecata.

Quintum obtinent deposita perdata in potestate debitorum.

Sextum priuilegiati, qui habent priuilegia, ut ipsorum debita soluantur.

Vltimum tenent alij creditores. Post hos omnes sunt hi, à quibus vsuræ acceptæ sunt, & adhuc post, bona incerta sunt restituenda. Cum autem multi vnus rationis creditores inueniantur, temporis antiquitas est inter eos obseruanda.

Circa locum autem dubium exoriri posset: possent enim creditor & debitor non esse in eisdem locis, tunc difficultas esset, an debitor teneretur ad locum creditoris sua expensam ei mittere. Ad hoc autem per tria dicta responderetur.

Primum est, si restitutio tantum ratione rei facienda est, & non ratione actionis seu acceptationis, tunc satis est debitori, si rem reddat in loco vbi reperitur, nec propria expensam tenetur mittere, sed potius creditoris: verbi gratia emi à latrone bona fide aliquid alienum, postea constat non esse ipsius, tamen dominus distat, non teneor expensis proprijs ad locum creditoris mittere, quamuis emerim in loco, vbi ipsius dominus erat, secus tamen si scienter à latrone emi, vel si, cum mala fide esse, mutauim locum; tunc enim ibi est iniusta actio vel detrahitio, de qua sit.

Secundum dictum, qui restituere tenetur ratione iniustæ actionis, tenetur rem ad locum domini mittere, nisi aliud ipsi placuerit, & saluare creditorem indemnem, vt in nullo rei sui detrimentum patiatur.

Tertium dictum: Qui ratione iniustæ acceptationis restituere tenetur, debet restituere in loco illo, in quo vel expresse vel tacite conuenit cum creditore de soluendo. quod si nullus fuerit conuentus, illic tenetur soluere, vbi conueniri coram iudice competente potest. Idem etiam dicimus de eo, qui ratione rei tenetur restituere, tamen conuentus fuit ratius de loco, vel expresse: vt, qui accepit comodato vel locato, vel simili modo, tenetur in loco, vbi accepit reddere, quia tacite talis locus fuit sub pacto, & potest iste modus re-

duci ad eum, qui est ratione iniustæ acceptationis.

nis.

Qua causa excuset iniquum.

CAPVT XXVI.

Vltimo loco agendum est de causis, propter quas excusatur quis à restitutione facienda.

Hæ autem septem sunt.

Prima est, cum intercedit remissio creditoris, puta, quia creditor remittit: tunc enim debitor liber est à restitutione.

Notandum tamen est, vt ista remissio sit valida, aliqua conditiones requirantur.

Prima, vt qui remittit, habeat remittendi potestatem. nempe quia ille dominium habebat talis rei. Vnde, filius familias ex bonis patris non potest facere remissionem, nec seruus, nec furiosus in furore existens, nec famuli, aut villici, nec negotiatores res dominorum tractantes; nec hi, qui vectigalia & gabbellas loco principalium exigunt. Vnde horum remissiones non auferunt obligationem restitutionis.

Secunda, vt qui remittit, liberè, & non coactus, nec vi aliqua remittat; cum enim vis intercedit nulla est remissio. Vnde qui deberet mille alicui, si nollet soluere quicquam, nisi creditor remitteret centum, vel differret solutionem, vt alter remitteret, quamuis hic remitteret, si ob talem causam facta est remissio, nulla est, nec aufert obligationem restitutionis.

Tertia, vt non sit fraude aliqua: vnde qui fingeret se non habere, & solutionem conquisiturum, vt creditor remitteret, non ob id maneret liber à restitutione.

Quarta, vt non fiat metu vel timore aliquo. Vnde potentes & domini, qui à vassallis & inferioribus remissiones obtinent, quas isti metu concedunt, ne ipsis displiceant, vel damnum ab eis patiantur, securi non sunt: debet enim esse omnino libera & spontanea remissio: talis enim absoluit à restitutione, nec est opus, vt volunt aliqui, vt pecunia offeratur præsens creditori: satis enim est, vt ipse liberè remittat, siue debitor per se, siue per alium id petat. Immo Caiet. verb. restit. dicit melius esse non offerre pecuniam: nam tunc vix remittit creditor; verum est, quod si conijceretur creditor remittere, quia non videt pecuniam, & desperat se posse habere, tali casu esset offerenda, quia alias vis esset; sed si liberè omnino remittat, non est opus id facere.

Secunda causa ab obligatione restitutionis excusans est, cum aliquo beneficio pecunia appretiable, debitor re compensationem æquivalentem fecit; ver. grat. si quis domino alicui inserviat, ex quo dominus debitum contrahat, si ille aliquod officium, puta, caualleratum vel notariatum, vel quid simile, quod æquualet seruitio suo, accipiat, dominus non tenetur amplius soluere. Dixi tamen, si sit pecunia appretiable; nam, quando non est, tunc debitum manet. Vnde fit, vt qui dant famulis beneficia Ecclesiastica, non sint liberi à seruitio soluendo eis debita: si enim in pretium illa dant, simonia est; si vero non, debitum manet, nisi liberè, & spontè famulus remittat & condonet.

Tertia causa est cessio bonorum: cum enim quis multa contraxit debita, nec vnde soluat habet, leges concedunt ei, ne in carceribus consumatur, vt possit cedere bonis suis, & corrupta publicationem facere, in manibus debitorum relinquendo, & tunc liber manet à restitutione, quamuis non soluat integre, & est tutus in conscientia. Concedunt autem leges, vt illius suæ instrumenta relinquuntur, & ea quæ ad propriam ipsius sustentationem sunt necessaria. Quod si postea ad pinguem fortunam redierit, restituere tenetur, vt habetur c. de his, qui bonis cede. poss. l. cum & filij.

Quarta causa est Vsiucapio, & præscriptio, In cuius gratiam quid vtrumq; horum sit, examinare oportet. Est igitur vsucapio, acquisitio dominij rerum mobilium, per continuatam possessionem temporis à lege definiti.

In qua tres sunt partes.

Prima est, *dominij acquisitio*, nam ex vsucapione aliquis fit dominus eius, quod suum non erat.

Alteri est, *rerum mobilium*, puta, vt res quæ acquiruntur sit mobilis, & quæ vsu consumitur. Ad differentiam præscriptionis, quæ etiam est acquisitio dominij, sed erga res immobiles, & quæ vsu non consumuntur.

Tertia est, *per continuatam possessionem*, puta, quod tale dominium acquiratur, non per emptionem, sed per vsum continuuum rei. Cum enim aliquis fit dominus eius, quod suum non est, & hoc per continuuum vsum illius rei, est vsucapio vel præscriptio: tamen est necessarium certum tempus. In vsucapione enim est triennium, vt habetur. instit. & ff. de vsucap. In præscriptione autem est decennium, inter commorantes in eadem ciuitate. Inter non commorantes autem, aliquando

viginti,

inginti, aliquando triginta, & quadraginta anni necessarij
sunt.

Aduertendum rursus, quatuor esse necessaria ad vsucapio-
nem, vel prescriptionem.

Primum est possessio, vt toto tempore res possideatur, quo
prescribi, vel vsucapi debet. Vnde fit, vt hi, qui possidere non
possunt, nec possint vsucapere, vel prescribere; puta, filiusfa-
milias, seruus, nesciente domino, furiosus, si in furore inci-
piat possidere, nam continuare potest, si ante furorem inci-
pit. Similiter monachus, & omnis is, qui dominium non po-
test habere. Vnde etiam fit, vt secularis non possit Ecclesiasti-
ca vsurpare, vel prescribere, quia ea possidere non potest.

Secundum est, *bona fides*, puta, vt possideat tamquam suam
rem illam: si enim mala fide habeat, non vsucapit. Debet aut
esse bona fides continuata, non interpolata, per totum tempus
lege prescriptum.

Tertium est necessarium, *bonus titulus*. Est autem bonus ti-
tulus, qui transfert rei dominium in perpetuum: duo enim
necessaria sunt ad bonum titulum.

Primum est, vt sit talis actio, quæ transferat rei dominium
in habentis potestatem; quando autem non transfert, non est
bonus, & ex hoc defectu, vsurarius, fur, & qui scienter à fure e-
mit, & qui habet ea, quæ secundum sententiam iniquam ab-
lata sunt, non vsucapiunt, quia tales actiones non faciunt ve-
rum dominium rei.

Aterum necessarium est, vt in perpetuum transferat, id est
sic faciat dominum, vt ipsum non obliget ad restituendum.
Vnde, in mutuo transfertur dominium, tamen non in perpe-
tuum, quia soluendum est: ob id, mutuata non possunt vsuca-
pi, similiter impignorata, locata, commodata, & similia, quæ
non transeunt in dominium, aut in perpetuum dominium
habentis: imò nec empta, & nondum soluta: at verò emptio-
num solutione, dotatio, hæreditas, & similia tituli boni sunt:
qui enim tali titulo rem habent, si adsint cætera possunt vsu-
capere, & prescribere.

Quartum est necessarium, ne sit res, quam leges vsucapi, vel
prescribi prohibent: In Instit. enim de vsucap. hæc sex prohi-
bentur vsucapi: res furto ablata, quocumque modo habeantur,
etiam bona fide, & per emptionem, vel donationem; res
in possessa, res sacræ, res religiosæ, seruus fugitiuus, homo li-

ber. Multa etiam alia præscribi non possunt. Vide *Sylu. verb. præscriptio*, & *Gloß. reg. 4. de reg. iur. in vj.*

His igitur suppositis, scias: qui vscepit, vel præcepit, quod suum non erat, peracto iam tempore, & cum conditionibus necessarijs, quamvis postea dominus rei cognoscatur, non tenetur ei reddere in vtroque foro: tales enim leges factæ sunt in bonum publicum, ne rerum dominia incerta maneat, & litigij homines inuoluantur, & in pœnam negligentium, quas suas res tanto tempore neglexerunt. Ita tenet communis opinio.

Quinta causa excusans à restitutione, est ignorantia, tam facti, quam iuris, dummodo non sit crassa, & multum culpabilis. Explico: si quis habet rem, quæ sua non est, tamen bona fide, quia putat esse suam, quia forsitan emit à latrone, quem nesciebat esse latronem, non tenetur reddere, dummodo non sit crassa ignorantia huius facti. nam aliquando est nimis facile cognoscere latronem: qui enim à seruo rem pretiosam emit, vel à puero, vel famulo, profectò non excusatur, quia crassum est ignorare, rem illorum non esse. Similiter de ignorantia iuris: aliqui enim excusantur à restituendo, quia ius obligans ad restitutionem ignorant; nesciunt enim se obligari, sed debet esse ignorantia excusabilis, & maxime cum homo consulat viros doctos, qui illum non teneri affirmant: quamvis enim alij contrarium dicant, tutus esse potest, dummodo doctissimi qui enim indoctos consulunt, non excusantur, cum possint doctos habere.

De alijs duabus causis non restituendi.

CAPVT XXVII.

VLtra prædictas causas, aliæ duæ existunt.

Altera est, necessitas: hæc enim sicut sufficiebat ad differendam restitutionem, vt dictum est, ita etiam sufficit ad simpliciter non restituendum. Notandum tamen, multiplicem esse hanc necessitatem: est enim vitæ necessitas, famæ, libertatis, & rei. Iuxta quod dico.

Primò nullus tenetur cum vitæ periculo, aut famæ rem alterius restituere: sunt enim vita, & fama nobilioris ordinis, quam res. Nullus autem tenetur cum detrimento bonorum

supe.

superioris ordinis, bona restituere inferioris ordinis. Hæc est communis sententia: quamuis Soto, vt supra diximus, velit, rem res est pinguiſſima, teneri aliquem etiam cum infamia restituere, quando non est tanta fama; & hoc dicit etiam de vita. Debent tamen esse redditus pingues multum, vt quis mortem subire debeat propter restitutionem: & videtur hoc rationabile, quamuis Caiet. verb. restit. & Nauar. c. 19. num. 90. vniuersaliter velint, nullum teneri cum vitæ, vel famæ periculo restituere, & id multi dicunt, quorum sententiã potest quis contra conscientia sequi.

Secundo, nullus tenetur se vendere, vt rem alteri restituat. Est enim libertas bonum inæſtimabile; quamuis posset quis se vendere, sed ad id non tenetur, & in hoc omnes conueniunt.

Tertio, secundum ferè communem sententiam, quilibet tenetur quacumq; rei necessitatem (citra extremam) subire, vt restituat, etiam ad talem statum descendere, vt mendicet, vel manibus laboret. At verò Soto, lib. 4. q. 7. art. 4. hunc rigorem benè temperat. Dicit enim, cum aliquis debitor est, quia res male accepit, putà furto, vel rapina, aut in culpa est, vt aliter restituere non possit, putà, quia dilapidauit bona sua, prodigaliter, & luxuriose viuendo, tunc tenetur restituere, & subire quacumque necessitatem, citra extremam, vsq; ad mendicitatem. At cum bona fide debita contraxit, & in talem difficultatem restituendi aliquo infortunio peruenit, restituere quidem debet mirando statum suum, & vilius viuendo, tamen potest aliquid ad suam sustentationem mediocrem retinere. Hæc de necessitate.

Vltima autem causa liberans à restitutione est, cum quis via aliqua dominium transferente, rem alterius habuit.

Sunt autem multæ tales viæ.

Quarum prima est ludus. In cuius declarationem aduerte, esse ludos quosdam prohibitos, puta, eos, in quibus magis fortuna regnat, quàm robur, & ingenium, seu ars, qualis est ludus alearum, & taxillorum, & tabularum. Hi enim ludi prohibiti sunt quidem clericis, & religiosis, de vit. & honest. cleric. cap. clericus. 2. & Authen. de sanctis Episcop. §. in mendicimus. vbi tales ludere, & ludo interesse prohibentur: secularibus etiam prohibentur à lege ciuili, ff. de aleat. l. solet, & ca. de relig. l. alearum vsus. Quidam ludi sunt non prohibiti, in quibus plus artis est, quàm fortunæ, vt scacchorum,

& alij,

& alij, qui ad corporis exercitationem pertinent. Illi priores ludi, nō sic sunt prohibiti, quin ob recreationem, & cum summa parua est, liceant etiam clericis; quamvis rarissime liceant clericis, sæcularibus autem magis. Cum tamen summa magna est pecuniarum, vix à mortali excusantur. Vnde prohibetò ludus, ratione multarum circumstantiarum, frequenter est mortale. Quicquid tamē sit de peccato, & de prohibitione, qui lucratur summam quamuis magnam, non tenetur restituere. Ita habet Soto lib. 4. q. 5. art. 2. & alij multi. Potest equidem ille, qui perdidit, repetere coram iudice, qui per sententiam ei omnia restituet, vt habetur citatis legibus; tamen ante condemnationem, non tenetur, qui lucratus est, restituere: fructum nondum qui perdidit, soluit, quia luit solutione instaurum facienda, nō tenetur soluere, vt dicit Soto, quia est in potestate sua: nisi iurauerit se daturum: tunc enim tenetur dare; & si vellet, posset coram iudice repetere, vel iuramentum relaxationem consequi.

Est aduertendum tamen, esse aliquos casus, in quibus qui lucratus est, tenetur etiam ante condemnationem restituere.

Primus est, cum, qui perdidit, non poterat rem talem alienare, puta, quia erat filius familias, in scio patre, vel seruus, vel monachus, vel furiosus, vel vxor, in scio marito, ex bonis mariti: qui enim ab his lucratur, tenetur reddere ante condemnationem. Ex quo fit, vt è contra, si isti lucentur, tenentur etiam restituere: sicut enim non possunt perdere, sic nec lucrari.

Secundus est, cum intercessit fraus: nam cum ex fraude in ludo facta quis lucratur, tenetur reddere ante condemnationem.

Tertius casus, si intercessit vis, quia aliquis coegit alterum ad ludum.

Vnde euenit, vt aliquis perdens, cogat alterum sustinere ludum, cum nolit amplius ludere: tunc, si forte reluctaretur, tenetur reddere, non quidem quod suum erat, & quod perdidit, sed totum quod supra suum ab altero lucratus fuerit, quia vis intercedit.

Quartus, cum aliquis notabiliter excedit alterum in ludendi arte: tunc enim est vt fraus quædam. In his casibus non est expectanda iudicis sententia. Vnum dubium est: nam possunt filij familias aliquam modicam quantitatem ludo exponere,

puta

tra duos, vel quatuor iulios, ex consensu saltem tacito paren-
tum, ut dicit Soto loco allegato, tunc peto, an si isti lucren-
tiam magnam summam teneantur statim reddere? Soto dicit
eos teneri, quia non possunt lucrari, nisi quantum possunt per-
dere. Navar. c. 19. num. 9. negat, dicens ipsos non teneri. Ego
puto esse cum distinctione procedendum: si enim intercessit
fraus; puta, quia, qui ludebat, putabat illum posse exponere
magnam summam pecunie, tenetur reddere; si vero non in-
tercessit talis fraus, ipse enim filius nihil dixit deceptorium, non
tenetur: perinde enim est, ac ille, qui non est filius familias, sed
tantum parvam quantitatem habet.

Sicut ludus dominium transfert, ita etiam fors, quamvis
cum discrimine: nam in hac non datur repetitionis locus, nec
est peccatum, immo aliquando bona est, cum praesertim ad li-
res interimendas sit, dummodo non sit iniustitia ex altera
parte: debent enim aequales esse, inter quos fors mittitur, ut
iniustitia non magis ad unum inclinet. Idem etiam dicendum
de illa via, qua multi conveniunt ad unum emendum, sua sym-
bola singuli ponentes, & postea fors mittitur inter eos, quod
vocat, *risare*. In hoc tamen unum est notandum; ne ille, qui
rem vendit multis, carius vendat, quam valet; hoc enim non
licet: fors tamen licita est. Idem etiam dicendum de his, qui supra
certitudinem, vel eventum sponiones faciunt & deponunt:
verum enim per hanc viam dominium transfertur, dummodo
non sit fraus ex altera parte, puta, quia res ei est certa, & fingit
dubiam tunc enim restituere tenetur. Haec sunt novem capita,
quae de restitutione tractanda proposuimus. Superest, ut bre-
viter aliqua circa excommunicationes, quae in hac parte ful-
minari solent, dicamus.

Aduerte primo, cum excommunicatio fulminatur contra
aliquem, ut soluat quod debet, si ipse non habet unde soluat,
non ligatur excommunicatione: & si excommunicatio in ge-
nerali fulminata est, non tenetur comparere coram iudice, sed
stimulare; si tamen nominatim fuit contra eum lata, tunc
tenetur comparere, & reddere rationem sui, alias, ob inobe-
dientiam, excommunicatione ligabitur.

Secundo, aliquis non potens sua a debitore alias recupera-
re, secretò ea accepit, ut supra iam diximus, tunc si excommu-
nicatio feratur contra eos, qui talia rapuerunt, non ligatur:
nullum enim excommunicatio maior ligat, nisi sit peccatum
mortale, quod ibi non fuit.

Tertio

Tertio, aliquis secretò rapuit aliqua, & fertur excommunicatio in eos, qui non reuelant tale furtum, tunc, si secretum & occultum est, nec ipse tenetur se prodere, sed tantum curare, ut res reddatur domino; nec alij in casu, quo ipse id curare non potest, ipsum manifestare: nam esset contra ius naturæ. Non omnium tamen, aut cuius infamia processit, reuelandum est; si vero sit occultum, non est reuelandum.

De vsura, quid sit.

CAPVT XXVIII.

Post restitutionem, nunc de vsura agere oportet, cum ipsa ad restitutionem obliget; ac primum, quid ipsa sit, constituere. Videtur autem nobis sic posse definitur: *est lucrum rei pecunia aestimabilis, ratione mutui principaliter proueniens.*

In cuius declarationem aduertendum est, quinque necessaria esse ad vsuram.

Primo, necessarium est, ut interueniat mutuum. Differt autem mutuum à commodato: nam in commodato non transfertur dominium rei, sed datur vsus tantum rei, ut res eadem postea reddatur; at in mutuo dominium rei transfertur, nec eadem in specie redditur. Vbi igitur commodatum est, nec mutuum intercedit, non est vsura.

Secundò, opus est, ut intercedat lucrum aliquod ipsius mutuantis, ultra sortem. Et attende, lucrum dici, cum quis habet, seu acquirit, quod aliàs suum non erat. Vnde, si acciderit aliquid in mutuo ultra sortem accipere, quòd tamen aliàs ipsius mutuantis erat, vsura non est: v. g. si mutues mille aureos alicui, & det tibi decem millia, quæ aliàs tibi debebar, & non debet soluere, non est vsura: non enim est lucrum, cum tua sint illa; secus, si peteres ante tempus debitum illa soluendi: tunc enim lucrū est. Rursus, si mutues alicui, ut non noceat tibi in his, in quibus secundum iustitiam aliàs tenebatur non nocere, non est vsura; quia tuum ius acquiris, & hoc pacto ad redimendam vexationem mutuare non est vsura, cum non sit vere lucrum.

Tertium; istud lucrum debet esse rei aestimabilis pecunia, si enim non aestimatur pecunia, non est vsura; ut si mutues alicui, ut tibi sit amicus, non est vsura, quia amicitia non solet vendi,

endi, aut pecunia aestimari: secus, si dares ut tibi remittere satisfactionem iniuriæ à te illatæ, usura hæc esset: nam talis iniuria pecunia aestimabilis est, & pecunia sæpius satisfactio ipsa fit.

Quartum, opus est, ut illud lucrum proveniat ratione ipsi mutui; cum enim ob aliam causam datur, non est usura, & sic excusatur ab usura, qui ratione damni emergētis, vel lucri celsantis aliquid accipit in mutuo ultra sortem, de quo post dicemus.

Quintum, opus est, ut principaliter ob mutuum tale lucrum proveniat: si enim non principaliter ob id provenit, non est usura. Et sic excusatur ab usura, qui mutuat alicui, qui omnino libere & sponte ex gratitudine aliquid ultra sortem dat: si verè ita sit, nullaque obligatio intercedat, sed absoluta animi gratitudo, non est usura accipere, quia non ob mutuum principaliter provenit, sed ob gratitudinem alterius. Sunt igitur prædicta quinque ad usuram necessaria, & in prædicta definitione omnia aperte continentur. Usura autem peccatum est mortale, & oppositum asserere, est hæreticum. Ita habetur de usura. cap. quia, &c. super eod. Dicitur autem apud Latinos usura, quasi lucrum quoddam; & scenus, quasi foetus apud Græcos dicitur *τοκος*, quasi partus, & apud Hebræos *שכר*, quasi mortuus, unde Deuter. 23. ubi dicitur, *non feneraberis ad usuram*, dicitur, mortui non mordebis, unde Chrysostom. super Matthæ. comparat morsui aspidis, qui primò delectationem infert, & somnum, post, mortem comparat; sic etiam qui ad usuras accipit, sibi bona conferri purat, postea verò cambijs, & recambijs omnia sua consumpta dolet, & se in inopiam redactum plorat. Hæc igitur dicta sunt, quantum ad definitionem, & nomen usuræ.

Quotuplex usura sit, & de mentali.

CAPVT XXIX.

Huius usuræ tres sunt species. Quædam enim est mentalis, quædam exterior explicita, quædam exterior implicita, seu palliata. Usura mentalis est, cum quis mutuat hæc intentione, ut ex mutuo aliquod lucrum ultra sortem accipiat; tamen talem intentionem nullo modo exterius mani-

festat

festat ei, cui mutuatur, sed exterius est simplex mutuum, interius autem lucrum intendit. Talis vsura mentalis dicitur, quia id, quod vsuram facit, puta, lucrum ratione mutui habere, mentis est. Vnde, non dicitur vsura mentalis, sicut alia peccata dicuntur mentalia, vt homicidium mentale, fornicatio mentalis, &c. alia: hæc enim sunt, quamuis nullum opus exterius sit. Et hoc etiam modo est quædam vsura mentalis, cum quis interiorius consentit in vsuris accipiendis, vel desiderandis: sed in presenti, vsura mentalis est, cum mutuum reale est, & qui mutuatur, intentionem habet accipiendi lucrum, siue potest accipiat, siue non, tamen intentionem non exprimit exterius: cum verò intentionem exprimit per aliquod pactum, paciscendo cum eo, cui mutuatur, de luero ultra sortem, hæc exterior vsura dicitur. Et quidem si pactum fuerit expressum, dicitur vsura exterior explicata, si verò tacitum, implicata, seu palliata. De harum singulis oportet tractare, ac primò de mentali. Circa mentalem, aduerte tria esse necessaria in tali vsura.

Primum est, vt quis intentionem & propositum habet accipiendi aliquid ex mutuo, ultra sortem. Notanda tamen est differentia inter spem, seu desiderium, & intentionem: spes enim est sperare, seu desiderare rem, aliud intendere rem: intentio enim non solum dicit velle rem, sed dicit finem operationis, vt propter rem illam homo operetur. Vnde in codicis sanitate, qui operatur, vt eam consequatur: spes autem & desiderium dicunt simpliciter velle. Modo, scias spem, aut desiderium habendi aliquid ob mutuū, non facere vsuram mentalem, sed intentionem; quamuis enim quis mutuatur accipere sperans, seu desiderans ob mutuū se aliquid habere, non committit vsuram; tamen si intendat, id est, hoc animo mutuatur, vt lucrum habeat, vsurarius est. *Lucrum ob mutuū dare, nihil inde sperantes.* Hic, spes pro intentione sumitur: non enim dicit simplex velle, sed velle, quod est causa, vt detur mutuū, & hæc est intentio. Hæc distinctio mutuum etiam prodest pro simonia mentali: inferuire enim alicui hæc spes, & hoc desiderio, quod ille beneficium dabit, non est simonia: tamen tali intentione inferuire, vt obligetur ille obsequium, ad dandum beneficium, simonia est.

Non sufficit intentio ad talem vsuram, sed est secundum necessarium, vt intentio ista sit accipiendi lucrum ob mutuū: quando enim intendit lucrum habere, sed non ob mutuū,

non est usura: v.g. mutuo alicui, vt fiat mihi amicus, & beneficius, & ex tali beneuolentia donec mihi aliqua, & beneficiat, non quidem ob mutuum, sed, ex amicitia, talis non est usura, nisi debet esse intentio habendi aliquod lucrū ab aliquo, propter mutuum.

Nec hoc etiam sufficit, sed opus est, vt ista intentio, quæ est habendi aliquid, propter mutuum, sit habendi aliquid principaliter, propter mutuum. Nam cum intendit quis habere ab aliquo lucrum, propter mutuum, sed non principaliter propter mutuum, sed ob gratitudinem, & liberalitatem suam, non est usura mentalis, sicut nec exterius accipere, usuram facit. Nec iudicis Soto lib. 6. quæst. 1. art. 2. qui contrarium tenet: nam melius dicit Nauar. tract. de usura, num. 19. verbi gratia. Mutuo alicui hac intentione, quia scio ipsum esse gratum, & liberalem, & solitum remunerare beneficia accepta, & ipse ob talem, gratitudinem, dabit mihi aliquid ultra sortem; non est usura; tunc enim usura est, cum intendo aliquid habere ex aliquo, ex obligatione saltem morali, quia nempe intendo illum obligare ex mutuo, vt det ultra sortem: nec opus est vt ista obligatio sit iuris, sed est, vt sit obligatio aliqua moralis, quæ homines quodam modo cogit ad aliquid faciendum. Talis igitur debet esse intentio eius, qui usuram facit mentalem. Stante autem tali intentione, potest tripliciter contingere usura mentalis.

Primo, cum ex parte vtriusque, dantis, & recipientis, est similis intentio: nam alter mutuat tali intentione, & alter dat hac intentione, puta, sentiens se ex mutuo obligari, & tunc peccat mortaliter qui recipit, & obligatur ad restitutionem.

Altero modo, est intentio ex parte recipientis; qui enim dat, liberaliter, & ex gratitudine dat, at qui accipit, velut ex debito accipit, & tunc hic mortaliter peccat, & obligatur ad restitutionem, quousque constat de intentione dantis: habita enim intentione dantis, non tenetur reddere; tamen mortaliter peccat, ob suam intentionem: & sic etiam peccaret, quamuis ille, qui mutuauit nihil postea, lucrī daret.

Tertio modo, qui dat ultra sortem, potest intentione talis esse, qua velut ex debito dat; tamen qui accipit, solum accipit, velut ex gratitudine, & liberalitate datum: in quo casu non peccat, qui accipit; tamen, cum primum de dantis intentione constat, tenetur restituere; non totum, sed id, in quo dicitur est

Qu

factus,

factus, vt dicit Caiet. ver. vfura, ver. gr. Accepi vestem sericam
vltra sortem credens mihi ex liberalitate dari cum constet, nō
sic datam fuisse, non tencor totum dare valorem, sed eū quem
alias consumpsissem, nisi illam accepissem; si enim ex panno
aliās me vestirem, solum, quantum talis valeret vestis, posse-
re teneret, & nōn pretium vestis sericæ.

De vfura exteriori explicita.

CAPVT XXX.

AD vfuram exteriorē explicitam duo sunt neces-
saria.

Alterū est, vt intercedat mutuū, in quo aliquid vltra
sortem accipiatur: Vnde, cum non est mutuū modo allego,
quamuis sit lucrum vltra sortem, non est vfura, licet interce-
dant pecuniæ: v. g. Si quis pecunias alicui det, vt is se diuitum
coram alijs ostendat, tamen post easdem reddat, potest aliquid
lucri inde habere, nec est vfura, quia non est mutuū, sed com-
modatio quædam. Rursus, si quis det alicui pecunias aureas,
vt ipsis ad aliquam medicinam vtatur putā, vt cum ipsis deco-
quat carnes, & iterum reddat, potest absque vfura aliquid lu-
cri accipere, quia non est mutuū, sed locatio quædam pecu-
niæ. Rursus, si det aureas pecunias pro argenteis, & petat al-
quid moderatum vltra pretium pecuniæ aureæ: similiter, si
argenteas pro alijs inferioribus metallis, & moderatum quid
accipiat vltra valorem, non est vfura, quia est venditio quæ-
dam pecuniæ, non mutuū. Debet igitur ad vfuram mutuū
aliquid intercedere.

Alterum etiam necessarium est, vt sit pactum aliquo opere
tum recipiendi aliquid vltra sortem, propter mutuū. Vnde
est regula generalis obseruanda; quoties aliquis paciscitur de
aliquo lucro, quod sit pecunia, vel pecunia estimabile, ob mu-
tuū habendo vfurarius est. Per hanc regulam, multi in particu-
lari casus deciduntur, quorum aliquot enarrabo, vt per hoc
facile alij iudicari queant.

Primus: si quis mutuat agricolis, seu terrarū cultoribus, hoc
pacto, vt obligati maneant terras mutuantis colere, quamuis
mutuans soluat totum pretium, quod illi merentur, & quod
ab alijs essent habituri, est vfura; quia illa obligatio, qua obli-

gati sunt, pecunia æstimabilis est, & nisi ratione huius aliquid
 ex mutuo, secundum boni viri arbitrium, remittat, committit
 usuram, & tenetur remittere. Rursus si quis mutuet alicui,
 obligando ut merces ex sua officina emat, quamvis iste
 alias empturus esset merces, & non plus accipiat mutuas,
 quam merces valeant, usurarius est: nam sola obligatio pecu-
 nia æstimabilis est, debetque aliquid ex mutuo remittere, ut
 usura non sit. Rursus, aliquis mutuatur alicui, obligando, ut
 emat aliquid ab ipso mutuante (sæpè enim cum quis non
 potest aliqua vendere, vel debito pretio vendere, mutuatur alicui
 obligando, ut emat illa) hæc est usura, licet res non
 vendatur, nisi iusto pretio, & tenetur refarcire damnum, si
 quod incurrit ille ex tali emptione. Rursus, si quis merca-
 tor, vel aliquis diues mutuatur civitati alicui, Regi, vel Princi-
 pi, cum pacto ut remittat gabellas, quas ipse soluturus erat, est
 usura aperta. Rursus etiam, si quis mutuatur alicui naviganti,
 vel eunti ad ferias, hac conditione, ut det ipsi mutuanti pecu-
 niam aliquam pro assècuratione illarum mercium, quas de-
 fert, ita ut obliget ipsum mercatorem, ut ineat contractum as-
 securationis cum mutuante, usura est, & tenetur reddere pecu-
 nias, quas ex assècuratione accepit, ut habetur cap. naviganti,
 de usur. Rursus, si quis mutuatur alicui negotiatori pecunias, ut
 det ei aliquam lucri partem, tamen non subit periculum mu-
 tui, sed, salvo capitali, de lucro paciscitur, usura est, quam
 solent incurrere viduæ, & alij homines otiosi, qui nolunt ne-
 goriari. Rursus, si quis mutuet alicui pecunias hoc pacto, ut
 soluat in alio loco, ubi plus valent; aut mutuet, ut in alio
 tempore det, quo res plus valet, puta, mutuatur frumentum
 vetus, ut det alio tempore, quo plus valere solet usura est.
 Quod si probabile esset, non plus rem postea valituram, non
 esset usura pacisci: vnde, qui dant frumentum vetus, ut no-
 vum eis postea detur, cum probabile æstimatur non plus va-
 laturum, sed id faciunt, ne frumentum pereat, non committunt
 hi usuram. Rursus, qui mutuatur cum pacto, ut alius fidei-
 ius habeat, vel spondeat pro ipso in aliquo negotio, vel ut obliget
 se ad mutuandum ipsi mutuanti, usurarius est. Ratio horum
 omnium est; quia aliquid æstimabile pecunia ob mutuum
 ultra sortem accipitur. Rursus tandem, cum quis mutuatur al-
 teri, & pignus accipit fructificans, puta agrum, vel vineam,
 vel aliquid aliud, nec accipit in partem restitutionis mutui fru-
 ctus, deductis expensis, & laboribus, usurarius est: tenetur enim

fructus à mutuo extrahere, vt habetur e. quoniam, de vsur. Vnde, cum fructus æquant totum mutuum, non potest accipere mutuum; & si excedunt, tenerur ipse reddere. Vnde vsurarii committunt, qui mutuãt Regibus, & Principibus, & in pignus accipiunt terras, & alia loca fructificantia; & tamen postea petunt totum & integrum mutuum. Tamen oportet in solutio- nis partem accipere fructus, deductis expensis, & laboribus, & damnis emergentibus, & lucris cessantibus, de quibus postea dicemus.

Aduertendum tamen, duos excipi casus à Pontifice, in quibus, non tenerur, qui accipit pignus, fructus in partem solutio- nis accipere.

Alter est, cap. conquestus, de vsur. cum quis dedit alicui fundum in feudum, & hic postea accipit mutuum ab illo, & ipsum fundum dat ei in pignus, tunc dominus fundi potest fructus accipere, & postea totum mutuum recuperare: ratio enim huius dat Soto libr. 6. quæstion. 1. articul. 2. quia ista lex est facta, vt quoties res aliquo modo ad dominum redit, fructus percipiat.

Alter casus est, cap. salubriter, de vsur. cum socer non daret genero statim dotem, sed pignus dat fructificans, tunc generus potest fructus percipere, & post, integram recipere dotem. Rationem huius dat ipse Papa, putà, propter onus matrimonij: hoc autem onus est, quod vir tenerur sustentare vxorem, & postea integram dare dotem, ob hoc Pontifex id decreuit. Soto autem loco allegato dicit, idem esse dicendum, cum maritus tuo marito, vxor nondum recepit dotem: potest enim fructus recipere, & integram post expectare suam dotem.

De vsura exteriori palliata, seu implicita.

CAPVT XXXI.

Exterior vsura dupliciter potest palliari. Vno modo, ratione pacti, cum non est expressum, sed nuda, vel consuetudine, vel alia via indicatur.

Altero modo ratione mutui, quod in vsura est necessarium: solent enim mutuum verum occultare aliquo alio contractu, ac si non esset mutuum, & talis palliatio est mutuum occultum, & po-

potest decipere. Ponam aliquot exempla, quamuis horum, inferius fiet copiosior tractatio.

In primis solet occultari mutuum sub nomine venditionis.

Fit autem hoc dupliciter: aut cum fingitur vendi, quod non est, ut fingo me dare alicui agricolæ quingentos aureos pro bobus, quos non habet, & postea fingo me locare boues pro quadraginta aureis: ista est vera usura: nam reuera est mutuum quingentorum, pro quingentis quadraginta.

Fit etiam altero modo, cum venditur res supra summum pretium, quia venditur expectata pecunia: v.g. vlna panni valet triginta ad summum, tamen quia vendo eam expectata solutione, vendo pro triginta quatuor iulij usura est: nam perinde est, ac si mutuarē triginta illa, pro triginta quatuor post reddendis.

Dixi autem, supra summum pretium: nam solent tria iusta pretia vnus rei esse: infimum, & supremum, cum medio. Bene autem potest aliquis summum pretium iustum exigere, cum vendit expectata solutione, alias exacturus medium, vel infimum, si soluerit statim emens: tamen excedere limites omnes istius pretij, usura est.

Aliquando occultatur mutuum sub titulo emptionis: quod enim aliquis emit vilius infimo iusto pretio, quia emit anticipata solutione, usura est: perinde enim est, ac mutuarē tot, ut datur ei postea plura, vel quod pluribus valet. Similiter est usura, quia quis emit soluta pecunia vilius infimo iusto pretio: licet quidem emere infimo pretio ea, quæ alias medio, vel supremo vendenda essent: licet etiam emere anticipata solutione ea, quæ non plus æstimantur valitura, cum vendenda sunt.

Aliquando etiam occultatur mutuum sub venditione, & emptione simul. Sic occultant mercatores, qui vendunt vlnas panni, expectata solutione, summo iusto pretio, & iterum tales vlnas emunt ab eodem: soluta pecunia, infimo pretio, est usura pura, perinde ac si mutuarē minus, exacturi postea plus. Nec excusantur isti mercatores suo argumento: dicunt enim, ille poterat vendere illas vlnas alteri infimo pretio, ergo potest etiam nobis vendere. Hoc argumentum nihil valet; nam mercatores obligant e mentem, ut ipsis vendat; nec aliter venderent vlnas, nisi eisdem reuenderent: cum autem alteri

venduntur, non est talis obligatio. Nec minus est usura quod fingunt: sunt enim duo socij, & vnus obligat, vt alter vendat: hoc enim perinde est, ac si sibi reuendere obligaret euentem.

Aliquando occultatur ratione solutionis; Verbi gratia, aliquis debet alicui centum, post annum reddenda, & quia die octoginta statim, petit sibi alia viginti remitti, secundum Caiet. verb. usura, cap. 3. usura est; tamen mihi videtur dicendum cum Nauar. cap. 17. nu. 131. quod si ratione temporis id sibi remitti petit, usura est; si verò ratione periculi, & absentia pecuniæ, quia verè pecunia præsens magis valet, quam absens, non est usura, cum vnus alius posset emere illa centum pro octoginta, vel nonaginta. Cum igitur nulla fraus intercedit, nec temporis ratione id exigitur, non est usura.

Aliquando occultatur sub titulo societatis. aliqui enim solent dare pecunias suas alicui negotiatori, hac lege, vt det aliquam lucri partem; tamen semper pecuniæ manent integre soluendæ, nec periculum subire volunt. Ista non est societas, sed mutuum, & usura: non enim est societas, cum non sit æquale periculum, sicut lucrum; & talis usura est, quæ committitur, cum aliqui dant pecunias cambiatori, petentes lucrum, sed nolentes exponere se vlli periculo capitalis pecuniæ. Hæc sint exempla, solum vt ostendatur quæ sit usura palliata: de his enim latius statim dicemus.

De causis, propter quas lucrum in mutuo potest exigi.

CAPVT XXXII.

Aliquando in mutuo potest lucrum aliquod exigi, licet nunquam ratione mutui, sed ratione aliorum emergentium.

Primo, Soto lib. 6. de iusti. q. 1. art. 3. lucrum quidem potest exigi, cum tamquam pœna imponitur solutionis: vt in mutuo centum, vt post annum reddantur: quod si non reddantur, in pœnam, vltra capitale, reddantur decem, aut viginti, talis pœna potest licitè exigi, & recipi: tamen sunt aliquot conditiones necessariae.

Prima

Prima, vt sit recta intentio ; hæc enim debet esse, vt, qui mutuat, suum possit recuperare capitale : cum enim intentio non est ista, sed potius habendi aliquid vltra sortem, quæ incertitia ostenditur, cum quis desiderat sibi non reddi sortem tempore statuto, vt pœnam recipiat) tunc vsura est mentalis.

Secunda, vt, qui pœnam exigit, seu imponit, non sciat probabiliter, mutuatarium non valiturum soluere tempore statuto : cum enim quis cognoscit probabiliter, non valiturum soluere illum, cui mutuat, tempore statuto, & adhuc pœnam imponit, vsurarius est: iam enim ratione mutui imponit; non tamen est vsura, si timens sibi soluenda in illo tempore, pœnam imponit, vt soluatur: immo ista debet esse ratio imponendæ pœnæ.

Tertia est, vt, si postea mutuatarium non soluit; & hoc, quia obsequæ culpa sua, non potest, quia nimirum casu perdidit, nec inde soluat habet, non sit exigenda pœna. Nam pœna debet exigi, cum peccatum est in non soluendo, ibi autem nullum est.

Quarta est, vt, si partem debiti soluit, non exigatur tota pœna, sed pars pro rata: nisi cum debitum forsitan non erat in partes, sed totum soluendum. His existentibus conditionibus in mutuo, aliquid vltra sortem accipere licet.

Secundo etiam potest exigi ratione damni emergentis. In cuius gratiam aduerte explicationem horum duorum terminorum, lucrum cessans, & damnum emergens: cum enim quis detrimentum patitur in his, quæ habebat, & ex eo quod mutuat, dicitur damnum emergens. Cum etiam non habet id, quod habere poterat, vltra ea, quæ habebat, & hoc ex mutuo, dicitur lucrum cessans. Aduerte autem neutrum, neque damnum, neque lucrum cessantem dici, nisi cum ex mutuo procedunt, vt nisi mutuum esset, damnum non esset, nec lucrum cessaret.

Pro damno igitur emergente potest quis, vltra sortem mutui, aliquid accipere ratione damni.

Dupliciter autem potest quis accipere ratione damni.

Vno modo paciscendo de damno, antequam eueniat, vt, mutuo tibi centum, vt reddas decem vltra sortem, pro damno modo patior; hoc modo non licet, nisi cum damnum est certum, vt, qui, ad mutuandum alteri, sub vsuris sumit pecunias, vel minoris vedit domum, vel agrum, hic licitè potest statim pacisci de damno, quia præsens & certum est aut etiam cum

probabiliter speratur, & formidatur, quamuis non sit omnino certum, licite potest pacisci antequam eueniat, & accipere ultra sortem, siue eueniat, siue non; dum modo tamen non paciscatur de toto damno formidato: nam adhuc incertum est, & minus est, quam praesens.

De damno vero non probabili nullus, absque usura, potest pacisci modo isto, sed altero sub conditione; nempe, mutua tibi hac lege, vt, si quid damni ex mutuo mihi acciderit, redicias; si vero nihil acciderit, ad nihilum ultra sortem teneam, hoc licite fit. Notandum vero, cum quis, vi, vel fraude, vel metu cogitur ad mutuandum, licite potest damna emergentia accipere, quamuis nullum fecerit pactum, vel conditionem: qui sic mutuo accepit, tenetur reparare; cum vero quis sponte mutuauit, licite potest exigere damna, quae acciderunt, si quando mutuauit, erant ante formidata, & mutuatario manifesta, quamuis nullum fecerit pactum; & mutuatarius tenetur reparare: non tamen, si non erant formidata; aut erant quidem, sed non manifestata ab eo, qui mutuauit. Quod si sponte mutuatarius talia vellet reparare, posset qui mutuauit accipere.

De lucro cessante.

CAPVT XXXIII.

Tertia causa, propter quam in mutuo aliquid ultra sortem exigere potest, est lucrum cessans, de qua causa non omnes doctores eodem modo sentiunt: dicam quae omnes accipiunt, & ea, in quibus dissentiunt.

Tria sunt in quibus non est discordia.

Primum est, esse tres condiciones necessarias, vt dicatur vere esse lucrum cessans ex mutuo.

Prima est, vt talis pecunia, quae mutuo datur, sit negotiorum in exposita: cum enim non erat quis alias negotiaturus talis pecunia, non dicitur ei lucrum cessare: vnde, si talis in mutuo aliquid accipiat, & paciscatur ultra sortem, usura est.

Secunda: Vt qui mutuauit, non habeat aliam pecuniam extra negotiationem, ex qua possit mutuare: cum enim alias habet mercator pecunias expositas, alias etiam habet non expositas, non potest mutuare cum pacto lucri cessantis, absque usura: nam tunc dicitur lucrum cessare ex mutuo, cum non

habet

habet mercator alias pecunias, quas absq; detrimento possit negotiationi exponere.

Tertia est, vt lucrum sit probabile: non enim sufficit, posse esse lucrum, vt dicatur lucrum, sed oportet probabiles esse rationes & coniecturas, ipsum futurum esse, si fiat negotiatio: quamuis in hac probabilitate sunt gradus; quædam enim lucra certiora sunt alijs. Hoc igitur vocatur lucrum cessans.

Conueniunt secundo Doctores, cum quis inuitus vi vel frau de cogitur pecuniam expositam mutuare, potest licite pacisci de lucro cessante, & ultra sortem recipere. Quantum autem recipere debeat, dicitur postea, & in hoc est similis ratio de lucro cessante, & de damno emergente.

Conueniunt tertio, cum quis sponte offert pecunias suas mutuo alteri, nec coactus, nec rogatus, nec in illius vtilitate, sed ante mutui contractum pecunias à negotiatione aufertens, non potest villo modo pacisci de lucro futuro, absque v'sura, quamuis tales pecuniæ sint verè expositæ negotiationi, & lucrum sit probabile, & ipse non habeat alias exponendas; cum enim ipse sponte suas pecunias à negotiatione aufert, non potest licite lucrum ab alio exigere. In his omnes conueniunt. At in vno discordia est; an, cum quis non coactus, sed rogatus suas dat pecunias, quas habebat negotiationi expositas, cum reliquis conditionibus possit exigere & pacisci de lucro cessante. Grauiissimi Doctores id omnino negarunt, disparerem facientes rationem damni emergentis, & lucri cessantis in hoc. Inter quos S. Tho. esse videtur 2.2. q. 78. ar. 2. Scot. 4. dist. 10. q. 2. & Innoc. cap. nauiganti, de vsu, quem sequitur Soto, lib. 6. q. 1. ar. 3. At non desunt pro parte contraria graues Doctores, inter quos sunt Conrad. q. 30. Sylu. verb. vsura. l. 5. 19. Caiet. 2. 2. loco allegato, & Adria. q. de vsura. Et quia ista est materia moralis, in qua probabile grauium doctorum sententiam potest quis secure amplecti, istam opinionem probo, nec vsuram reputo, sic pacisci. Et idem dicendum est de eo, qui, licet non rogetur, tamen non lucro, sed charitate ad subueniendum proximo motus, ei mutuat.

Aduertendum tamen, esse alia duo obseruanda, vltra prædicta, cum quis de lucro paciscitur.

Primum est, vt non exigat statim ex pecunijs mutuatis lucrum cessans: v. g. quis mutuat alicui centum, non debet statim exigere lucrum cessans, dando nonaginta, si forte lucrum

erat decem, sed debet mutuum integrum dare, & expectare lucrum ab illo, cum voluerit dare intra aliquod tempus.

Alterum est, vt non accipiat totum lucrum, quod sperabit ex tali pecunia, nisi deductis tribus, nempe expensis, quas futurus erat lucraturus in negotiatione, quæ aliquando maiores, aliquando minores sunt, aliquando ferè nullæ, vt quando aliquis ex eo quod mutuatur, relinquit emere rē statim paratam minimo pretio, quam statim absq; expensis venderet summo pretio. Rursus, deducendus est labor, qui in negotiatione adhibetur, quamuis, cum quis coactus mutuatur, non teneatur deducere operas & labores suos, quos promptus erat exhibere: sicut operarius, qui cogitur ab aliquo non laborare, non teneatur deducere laborem a mercede, sed integrum exigere: scilicet, cum non cogitur.

Tertio, deduci debet periculum: nam cum lucrum non sit præsens, sed dubium, minus valet quam certum. Et istud periculum non est æquale in omnibus, sed aliquando maius, aliquando minus, & debet arbitrio boni & timorosi viri periti ad mensuram. Dum autem istud periculum æstimatur, multum cōducet examinare, quanti alius asseueraret tale lucrum: v.g. mutuatur quis centum, quibus decem lucrari sperabat, potest exigere, vltra centum, illa decem, deducendo labores & expensas, quas exhibiturus erat in decem acquirendis. Rursus, deducendo periculum, hoc modo examinando, si ipse vellet sibi illa decem assecurari, quantum daret, & hoc ferè totum deducere. Dico, ferè totum, quia non totum debet deducere, quantum daret pro assecurando, quia non se ingerit ad mutuandum, sed rogatus mutuatur, & multo minus debet deducere, cum coactus est. Si igitur ista tria pensentur, profecto vltra tertiam partem lucri aliquando sperare potest exigere. Ita tamen in particulari, vt dixi, boni viri arbitrio pensanda sunt. Hæc igitur de lucro cessante dicta sint. Securus est in tali abstinere lucro, & gratis mutuare, cum nullum damnum emergit.

De alijs causis exigendi in mutuo lucrum.

CAPVT XXXIV.

Quarta etiam causa est, propter quam in mutuo lucrum exigi potest, seu potius accipi potest; cum aliquis mutuatur.

rem

rem tempore, quo minus valet, vt reddatur sibi tempore, quo plus valet, nullo existente pacto, nulla existente probabilitate illius maioris valoris, nec illius gratia mutuum factum est: vbi gratia, aliquis mutuatur alicui vinum vel frumentum, vel aliquid aliud, tempore, quo minus valet, accidit postea, vt, cum reddi debent ista, plus valeant: in tali casu potest aliquando esse usura, aliquando non. Quod sic explico: Si non mutuauit, sed vendidit, non potest plus accipere, nisi pretium quo illa valebant, quando vendita sunt; Quod si non vendita, sed mutuata sunt, tunc, si, qui mutuauit, sciebat probabiliter, tempore, quo illa restituenda erant, plus valitura, obligauitque mutuatarium, vt non ante solueret, spe lucri, usura est plus accipere, quam erat mutuum tempore mutui: Quod si nesciebat, nec tali intentione mutuauit, sed casu plus illo tempore res valuit, aut ipse non mutuauit lucri intentione, potest exigere frumentum sibi dari, vel oleum, vel vinum, etiam in pretio, quod valet tempore restitutionis. Ita tenent communiter, & vide Soto lib. 6. q. 1. 2. 2. & Sylu. verb. usu. 1. §. 16. Idem etiam dicendum, si minus valet: tunc enim perdit, qui mutuauit: debet enim recipere tot in mensura, quot dedit, licet tunc minus valeant. Notat autem Soto loco allegat. duo.

Primum est, si quis mutuaret alicui, non prescripto tempore solutionis, & tamen quando videret talem rem vilius valere, non pereret, expectando tempus, quo carius valeret, talis esset auarus, & peccaret contra charitatem; tamen non esset usurarius, nisi impediret alterum quod minus solueret, cum vilius valet res; aliter non facit contra iustitiam: non enim tenetur debitorem aduertere: nam ille debebat hoc considerare.

Alterum est, non esse simile de pecunia & frumento, aut alijs rebus: si enim aliquis mutuaret alteri centum aureos valentes vndecim iulios, & post, Rex, vel princeps augetet valorem aurei vsque ad quatuordecim, non teneretur ista dare centum aureos, sed illos, qui adæquant valorem centum, vndecim iuliorum. Ratio huius est; quia in pecunia pretium non distinguitur ab ipsa, sicut pretium distinguitur ab alijs rebus. Autem igitur pretio mutatur pecunia, sed non res, puta, modius frumenti. Sicut igitur, si augetetur modius frumenti, qui accipitur quatuor modios mutuo, cum minor erat mensura, non tenetur dare modios maiores quatuor, sed quantum equet minores: ita etiam de pecunie. Cum vero non mutuatur modius, sed pretium quod a modio distinguitur, debet reddi idem modius,

licet

licet plus valeat. Hæc intellige, quando qui dat pecunias, non petit sibi dari in eadem materia, in qua dat, siue minus, siue plus valeant: tunc enim essent sic dandæ, siue auctus, siue minus esset valor pecuniarum.

Alia quinta causa accipiendi in mutuo ultra sortem, est, cum quod accipitur, aliàs erat debitum accipiendi: ut, cum quis non potens sua recuperare, mutuat, ut ei sua reddantur, non est usura; nam verè non est lucrum, quia lucrum est, quando accipit, quod suum non erat. De hac causa superius in definitione diximus.

Vltima causa est, cum mutuum non verè intercedit, sed degenerat in sortem potius: v. g. si quis mutuarer alicui mille aureos, hoc pacto, ut si intra decennium mortuus fuerit, vel dans, vel accipiens, sint accipientis, & hæredum; si verò vitæ superstes fuerit, teneatur reddere mille & quingentos. Sylu. verb. usura. l. §. 36. putat esse usuram; sed Sylu. putat id, quando mutuatarius obligatur subire sortem, ut, c. nauiganti, de vitis iudicatur de obligante ad assecurationem; tamen si non dicit obligatio, sed liberè vellet mutuatarius, sic non est usura: nec enim hic intercedit verè mutuum, sed est fors quædam: & dummodò seruetur æqualitas in sorte ex vtraque parte, non est minus contractus neque usurarius.

Quantum debeat usurarius restituere, & ex quibus bonis.

CAPVT XXXV.

Nunc de restitutione, quæ facienda est, usurarium, restituere oportet. Ac primum quidem de quantitate restitutionis, certum est, eum, qui ultra mutuum accepit, etiam ex usura, teneri ad restitutionem, & non quamcumque, sed eorum omnium, quæ ultra sortes datas accepit. Teneretur etiam restituere damna illata, & lucra cessantia, quæ ex usurarium solutione obuenerunt, soluentibus usuras ex earum solutione: v. g. si quis, ut solueret usuras, coactus est domum vel agrum minoris vendere, quam valebat, usurarius teneatur, non solum de usura accepta, sed de damno dato facere restitutionem, ut habet S. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 4. Rursus, si solvens negotiatur illa pecunia, & dum eam usurario soluit, lu-

crum

crum perdidit, tenetur ei vsurarius de lucro cessante, ad modum superius dictum. Ita habet Soto li. 6. q. 1. ar. 4. Ultra ista tenetur etiam vsurarius aliquando restituere simul fructus, quos apud eum res per vsuras acceptæ fecerunt.

In cuius gratiam, aduerte distinctionem superius positam: res enim per vsuras acceptæ sunt in duplici differentia.

Quædam quæ ex se non fructificant, nisi ex industria habentis, vt pecunia, frumentum, oleum, & alia, quæ vsu consumuntur.

Quædam verò ex se fructificant, vt domus, ager, vinea, oliuetum, equus, seruus, & alia, quæ vsu non consumuntur. Vsurarius igitur non tenetur restituere eos fructus, quos ex rebus vsu consumptilibus sua industria conquisiuit: v. g. si pecunijs vsurarijs negotiatus, lucratus est multa, nihil horum tenetur reddere, nisi, vt diximus, lucrū cessans, vel damnum emergens, si quod euenit alteri, causa vsuræ. Et idem est dicendum de agro, domo, vel re, vsu non consumptibili, quæ empta est ab vsurario pecunijs vsurarijs, non tenetur horum fructus reddere, quia ex ipsius industria sunt, vt dicit S. Tho. loc. cit. Vnde in c. cum tu, de vsur. dicit: quod, cum cogi debet vsurarius soluere, tales res debent vendi, si aliunde non est soluendo, vt ex pretio vsura restituatur: non tamen dicit esse ab eo auferendas; nam residuum pretij, si quid superest, est ipsius vsurarij. At verò; cum res vsurariæ, id est, quas ab vsuras solventibus accepit, sunt ex se fructiferæ, tunc tenetur res cum fructibus restituere, deductis expensis. Ista autem restitutio prædicta debet fieri ijs, à quibus vsuræ sunt acceptæ, aut ipsorum hæredibus. Quando autem nullus horum apparet, sed omnes ignorantur, est facienda pauperibus restitutio. Hæc sententia communis est.

Secundo loco videndum est, ex quibus bonis facienda est restitutio. In cuius explicationem, aduerte, bona vsurariorum esse in quadruplici differentia. Quædam, quæ per vsuras accipiuntur, sed vsu consumuntur, vt pecuniæ, frumentum, & alia. Quædam talibus empta, sed quæ vsu non consumuntur, vt domus, agri, vineæ pecunijs per vsuram acceptis empta. Quædam per easdem accepta immediatè, & vsu non consumptibilia, vt domus, agri, &c. Vltimo bona propria, non per vsuras accepta. Quantum ad præsens, eadem est ratio de secundis & primis. Vt tamen resolutio habeatur, sunt aliquot dicta.

Primum est, omnia huiusmodi bona, dum sunt in potestate usurarij, sunt obnoxia restitutioni usurarum. vt ex eis tantum auferatur quantum sufficit pro restitutione usurarum admodum predictam. Explico; Si quis mille aureos accepit per usuras, tenetur restituere ex quibuscumque bonis suis, acceperit, si consumpsit illos, debeant abstrahi à proprijs bonis suis, si illis fundum emit, nec aliud habet vnde soluat, debeat fundus vendi, & ex pretio usura restitui.

Secundo, Idem dicendum est de hæredibus usurarij acceptantibus hæreditatem: omnia enim bona hæreditate accepta manent obnoxia restitutioni. Tamen notandum est, cum multi sunt hæredes, non sunt obnoxij nisi pro rata: si enim rem partem vnus accepit, tertiam usurarum partem tenetur restituere, nisi inter alia bona sit res vsu consumptibilis usurarum: nam qui habet, tenetur reddere domino, & ab alijs coheredibus exigere partes suas, si minor pars ab eo erat restituta, quàm sit res illa reddita. In hoc puncto forum conscientie & exterius non conueniunt: nam in exteriori, si quis semel occupauit hæreditatem usurarij, quamuis postea inuenta sit minor debitis, cogetur omnia restituere, nisi sub aliqua conditione acceptauerit, qua se ad aliquot obligauit soluenda: in foro interiori non tenetur plus restituere, quam accepit per hæreditatem.

Tertio. Cum res vsu non consumptibilis per usuram accepta est, manet restitutioni obnoxia, in cuiuscumq; sit potestate, siue sit apud usurarium, siue apud hæredem, siue apud eum, qui ab usurario emit, siue domum accepit, deniq; à quocumq; habeatur, domino debet reddi, quia semper est ipsius domini premissi, sicut res furto oblata.

Quarto. Ex alijs bonis per usuram acceptis, siue vsu consumptibilibus, siue vsu non consumptibilibus; emptis autem ab usurario, si usurarius habeat alia propria bona, vnde usuram restituat, potest ea alienare donando, vendendo, emendo, vel quouis modo; nec qui ea recepit, restituere tenetur: v.g. usurarius habet multa propria bona, quibus potest restituere ea, que per usuram accepit, siue sint bona priora, siue posteriora modo, quouis hæc usuraria bona quouis modo bona à se alienet, qui accepit, non peccat, nec restituere tenetur, quamuis postea usurarius ad inopiam veniat, nec habeat vnde soluat, dummodo habuerit cum alienauit. Et multi casus per hoc soluantur, vt de recipiente dorem ab usurario ex pecunijs usurarijs, vel ex par-

tis per eas; de accipiente dono, vel modo alio, nullus horum tenetur, si, cum accepit, propria bona habebat vsurarius, ex quibus solueret, quia non tenebatur restituere ex illis eisdem acceptis, nisi ex quibus vellet.

Quinto. Cum tamen vsurarius non habet alia bona propria, unde soluat, præter ea, quæ ex vsuris acquisiuit, sunt multi, qui dicunt, generaliter omnes qui accipiunt ab eo modo quouis teneri ad restitutionem accepti. At Sot. optimè cum distinctione procedit, lib. 6. q. 1. art. 4. Inquit enim, dupliciter aliquem alienare sua.

Vno modo, cum rei propriæ diminutione, vt cum dat, & non recipit, puta, cum donat alteri, cum dat dotem filia, cum dat mercedem famulis, qui rem domini suo labore vel negotio non augent.

Altero modo absque rei suæ diminutione, vt, qui emit, dat enim vnum, & recipit æquiualens, & vt qui dat mercedem laborantibus in re sua: hi enim augent rem ipsam. Iuxta hoc dico, quod talis vsurarius, qui alienat modo priori, facit rem alienatam restitutioni obnoxiam. Vnde gener non potest dotem accipere, & si accipiat, tenetur restituere, quamuis, cum bona vsurarij restituenda sunt incerta, possit ab Episcopo petere, vt sibi applicentur, vt dicit Nauarr. cap. 17. num. 280. nec etiam potest donare nec alere famulos, qui rem domini non augent; & hi tenentur restituere, nisi ignorantia excusentur. At verò; si posteriori modo alienat, non obligantur, nec sunt obnoxia restitutioni, cum acceperit vsurarius æquiualens, unde posset restituere, dummodò, vt diximus, non sit res vsu nõ consumptibilis, ex ipsa vsura accepta. Ab his excipit Nauarr. loco allegato vxorem vsurarij, quæ licet habeat propriam dotem, potest sustentari ex bonis mariti, etiam per vsuram acceptis, dummodò viuat moderatè, secundum statum: nam prior est obligatio sustentandi vxorem, quam alia debita satisfaciendi. Excipiuntur etiam filij, qui aliunde viuere non possunt, & serui rem domini augentes, & qui coacti sunt seruire ei.

*Qui obligentur restituere ratione vsuræ. Et quid cum
vsurario agendum.*

CAPVT XXXVI.

Multi sunt, qui ratione vsuræ obligantur restituere. Nam, non solum qui acceperunt bona vsuraria, de quibus in præcedenti cap. diximus, sed etiam alij, qui nihil acceperunt, de quibus Sylu. verb. vsura. 7.

In primis Iudices & Principes, qui reperentes vsuras ab vsurarijs damnant, & iniqua sententia ipsis vsurarijs bona adiudicant: hoc enim nullo modo fieri potest, estq; iniquum eos qui reperunt, non audire, & eis bona per vsuras ablata non facere restituere, cum in iudicio repetunt, & talia facientes obligantur restituere.

Similiter, Aduocati, & Procuratores, & qui scienter defendunt vsurarios, vt bona repetita consequantur.

Similiter, cum Notarij dissimulant vsuras, fingendo licitos contractus, vt, cum vsurarius dat centum, ipsi scribunt centum & viginti, vt post possit vsuras repetere, tales obligantur restituere vsuras, quamuis non obligentur restituere illud pretium, quod pro tali contractu receperunt. Quod si Notarij contractus facerent aperte vsurarios, peccarent, tamen non obligarentur ad restitutionem; nam illi contractus sunt inualidi, nec vim dant vsurario ad repetendū, sed tales in vsu non sunt, sed priores, quibus vsura celatur.

Rursus, obligantur restituere testes, qui, scientes, similes contractibus fictis fidem adhibuerunt, & omnes hi in solidum obligantur, si vsurarius non restituit.

Rursus, etiam obligantur, vsurarium factores, id est, qui potestatem habent ab ipsis vsurarijs exigendi vsuras, & dandi; alij verò, qui talem non habent potestatem, vt, qui scribunt receptas pecunias, qui seruant, qui portant, non obligantur.

Rursus, qui dant consilium efficax alicui, vt fiat vsurarius, & proxeneta, seu cursores, qui faciunt pacta inter vsurarios, & accipientem vsuram, omnes hi obligantur ad restitutionem: quamuis Sylu. distinctione vtatur: si enim solum concurrant, vt vsurarius det ad vsuram, non obligantur; si verò concurrat ad hoc, vt vsuras exigant, obligantur. Eadem distinctio est

Angel.

Angel. ver. restituit. i. §. & videtur bona. Soto autem hæc distinc-
tio non placet. lib. 6. q. 1. art. 4. nam idem videtur concurrere
ad dandum ad vsuram, & exigendum: nam si dat, planum est,
quod exigit. De proxeneris magis hoc videtur distinguendum.
Si enim nullum faciant pactum inter vsurarium & accipien-
tem, sed solum ostendant & inueniant vsurarium, aut eos, qui
accipiunt ad vsuram, non videntur obligari; tamen periculo-
sum est valde tale officium, & vix liberum est a restituendo. Et
hæc sunt sacis de hac re.

Nunc autem, qualiter confessarius se debeat gerere cum
penitente vsurario, agere oportet.

Duplex igitur est vsurarius, alter notorius, alter occul-
tus.

Ille dicitur notorius, qui in iudicio per testimonia sufficien-
tia conuictus est, vel qui in iudicio sponte confessus est vsu-
ram, vel de ea damnatus est, vel factum est notorium, puta,
quia publicè ad vsuras dat.

Quando verò quis dat ad vsuras, sed non se habet vt aliquis
prædictorum dicitur vsurarius non manifestus. Quid igitur
tam manifesto sit agendum, habetur ex cap. quāquam, de vsu-
ris, in sexto: nullus enim debet eum a peccatis absolueret, nec
sacramenta impendere, nec communionem, donec restituat
vsuras, vel, si non potest, det sufficientem cautionem per pig-
nora, vel per fideiussores: Quod si dominus vsurarium non ad-
est, exhibenda sunt his qui pro ipso acquirere possunt: v. g. pro
curatori, vel si mortuus sit, hæredi vel similibus, vt supra, de
quo vide Sylu. verb. vsur §. si tamen hi non adsunt, Episcopo
vel eius Vicario, vel proprio Confessario. Quod si neutrum
eorum duorum potest præstare vsurarius, iuret se non posse,
cum primum possit, restitutum. Nisi aliquid horum pro-
curator ordine prædicto, Sacerdos non debet absolueret, aliàs
peccat mortaliter, quamuis vsurarius dicat se in testamento
soluere, vt vsuræ soluantur; immò testamentum est irri-
tum, nec talis debet sepeliri in loco sacro; & qui sepelit, ipso
iure est excommunicatus, vt ibidem in prædicto capite ha-
betur: nam confirmatur excommunicatio lata Clem. 1. de se-
peliendo. Excommunicatio autem reservatur Episcopo, qui non
debet absolueret, donec satisfaciat læsæ parti. Quod si vrget
necessitas, nec vsurario vacat illa faceret, cum tamen propositum
solvendi habeat si posset, tunc confessarius debet ab illo petere
permissionem soluendi vsuras, & facultatè dicendi & reuelandi

Episcopo talem promissionem, vt postea Episcopus compellat eum, si vixerit, soluere, vel hæredes: ita dicit Sylu. verbo, restitutio. 2. §. 1. Quando verò mors non dat locum huiusmodi, sed solum signa contritionis exhibet, quæ ad absolvendum sufficiunt, tunc absolvatur, & in hoc casu non esset excommunicatus, qui sepeliret, vt habet Sylu. est. Notandum autem usurarium non esse excommunicatum, ob id non esse recedendum à diuinis officijs, vt Sylu. bene notat, & Soto lib. 6. q. 1. art. 1.

Quando verò non est manifestus, tunc non sic se gerere debet Confessarius, sed potest absolvere usurarium promittentem, & habentem propositum restituendi, dum tamen non comperiat in alijs confessionibus proposuisse & non seruasse: tunc enim expectanda esset restitutio, vt notat Sylu. verbo, restitut. 6. §. 1. Quòd si iste usurarius est in mortis articulo, quibus melius esset non absolvere, nisi restituat. cum possit idفعere, tamen non tenetur Confessarius id facere. & si est probabile, hæredes testamenti restitutos, potest absolueres, cum verò non potest usurarius talis, morte vigente aliquid facere, non est necessarium petere illam promissionem cum licentia manifestandi: nam peccatum huius est occultum, nec creditur Confessario illum fuisse usurarium, sicut credebatur, cum notorius & manifestus erat.

De accipiente ad vsuram.

CAPVT XXXVII.

Longè distant inducere aliquem ad dandum ad vsuram, & accipere ab aliquo ad vsuram: prius enim malum est, & peccatum, & numquam licet, nisi, vt dicunt Iano. cap. super eo, de vsur. & Nauarr. cap. 17. num. 263. cum quis est in extrema necessitate positus, in qua alias tenetur ei succurrere sub mortali peccato, & non succurrit: tunc enim, velut minus malum, petendum est ab eo, vt det ad vsuram: verò gratia, est aliquis inter infideles, & occiditur, nisi det centum aureos, quos ille non habet præsentem, sed alibi habet, tunc si adfit illic mercator, qui eos possit præstare, tenetur sub mortali saltem mutuari: si autem nolit, potest ille alius ad vsuram petere: licet enim suadere minus malum, vt non fiat manus: si enim mereator deliberatus est facere maius peccatù, quod est

non

non mutuare in tali necessitate, potest hic dicere ne hoc facias
 saltem minus fac. De hoc vide Soto lib. 6. q. 1. art. 1. Accipere au-
 tem ad usuram non est ex se malum; nam qui accipit, solum
 mutuum petit; quod cum ille non velit nisi ad usuram dare,
 ille eam dat. Cum autem ob aliquam necessitatem accipit quis
 ad usuram, nullum est peccatum, ut habet S. Thom. 2. 2. q. 78.
 art. 4. Cum vero nulla est necessitas, sed ob luxum vel vanita-
 tem, Soto lib. 6. q. 1. art. 5. putat non esse nisi veniale, & idem di-
 cit Caiet. nisi sit nimia prodigalitas, & notabile filiorum, &
 rei familiaris detrimētum: tunc enim esset mortale, sicut pro-
 digere pecunias. Hinc patet solutio cuiusdam dubij; an possit
 mercator sumere pecunias ad usuram, & eis negociari, quia
 plus negociatione lucratur, quam sint usurae soluta. Refert
 Soto loco allegato, Sanctum Thomam consultum de hoc à
 mercatore Florentino, respondisse, non licere. Soto autē dicit
 esse licitum, & Caiet. dicit, tantum esse veniale; & ego ita cre-
 do: puto enim, Sanctum Thomam intellexisse de eo, qui po-
 test habere pecunias quibus negotietur: iste enim venialiter
 peccat, si tantum accipit, nullum inducendo ad dandum sub
 usuris. Quod autem dicimus de accipiente ad usuram pro se,
 intellige etiam pro alio, qui pro amico suo accipit ad usuram:
 si enim aliquis rogatur ab amico vel noto, ut muuet illi acci-
 piendo ad usuram quam ille soluet, potest licite, etiam in illius
 fauorem accipere usuram. De dominis autem temporalibus
 permittentibus usurarios, sciendum est, licitum esse permitte-
 re, sicut permittuntur etiam meretrices, ad vitanda maiora
 mala, non tamen ob hoc conceditur usura: nam permittere
 est non punire, hoc autem, non semper est peccatum: Deus e-
 nim etiam permittit peccata. Esset tamen graue peccatum,
 si ita permittent usurarios, ut accipientes ad usuram cogere-
 rent ad soluendam, nec locum in iudicio darent repertibus:
 est enim contra ius naturae usura, ob id esset lex iniqua, quae
 acciperet usuras solui, & qui tale faceret, esset excommuni-
 catus, ut habetur Clem. vnica. de usur. Vide Soto lib. 6. quest. 1.
 art. 1. Ius enim canonicum non permittit usurarios; immo
 penas infligit vndecim, quas vide apud Syluest. verb. v-
 sura. 9. Hæc hætenus dicta sint de usura in
 communi, nunc ad particu-
 laria descenda-
 mus.

De monte pietatis.

CAPVT XXXVIII.

Mons pietatis, est quædam summa pecuniæ, aut rem-
pecunia æstimabilium, quæ in pauperum refugium,
vel à diuite vno, vel multis, aut à Principe, vel repub-
blica aut aliqua communitate reposita est. Ex hac pauperibus
solet mutuari gratis. Huius conditiones seu leges esse solent:

Primò, vt detur mutuuum ad breue tempus, puta, ad annum
plus, minus; nec excedat vt possit pecuniâ multis mutuari, &
per eam multis subueniri.

Secundò, vt mutuetur sub pignore, ne pauperes in solutõe
negligentes sint, & mons consumatur.

Tertiò, vt, si intra tempus signatum non soluitur mutuuum,
pignus vendatur & detur monti, quod ei debetur, vt possit sub-
ueniri alijs.

Quartò, vt, cui mutuuum datur singulis mensibus, quibus
mutuuum acceptum possidet, erogat aliquam summam bonæ
& paruam pecuniæ monti, pro expensis, quas ministri faciunt.
Hic dicitur mons pietatis. Et quamuis olim fuerit inter Do-
ctores magna controuersia, an sit licitus, quia videtur pro mu-
tuo aliquid accipere, tamen Leo Decimus Papa expeditiua bul-
lam, quæ habetur Concil. Lateran. sess. 10. quæ montem talem
probat licitum esse, & ab alijs suis prædecessoribus approba-
tum, nec habere labem vsuræ; & excommunicat contrarium
legentes vel scribentes: quamuis dicat melius esse, vt qui tales
instituant montes, etiam instituant redditus peculiaris pro
expensis ministrorum. Vnde non possum non mirari Cæc.
in opusculo de monte pietatis, & Soto lib. 6. q. 1. art. 6. qui con-
tra istum montem inuehuntur; pace ipsorum, nimis audaces
& sine ratione, & ni fallor, qui tale diceret, purò esse excom-
municatum. Melius Nauar, super cap. 1. 14. q. 3. ipsum probat, &
absque dubio probandus est, si fiat, vt a sede Apostolica est
probat.

Sunt enim tres conditiones necessariae.

Prima, vt ex mutuo nihil lucri accedat monti, vltra id quod
habebat.

Secunda, vt, quod à mutuario accipitur, sit pro obligatio-
ne, qua mons obligatur mutuari indigenti, & pro expensis,
quæ necessariae sunt pro montis conseruatione, & hoc vocat

Papa

Papa pro indemnitate. Nam mons debet mutuare sic, ut non patiatur damnum.

Tertia, ut nihil accipiatur ultra expensas & causas predictas quæ debent esse moderatæ nimis, puta, quantum necessarium est. Vnde, non sunt plures ministri in monte constituendi, quam sint necessarii, nec aliæ expensæ superflue fieri debent: pro his enim accipere aliquid, usura esset. Hunc autem montem licitum esse, ratio aperta probat.

Primo, si quis peteret à me mutuo, quod ego non possem illi mandare, quia ver. gra. absens est, nisi expensas aliquas faciendo, profecto licitum esset, ultra mutuum pro expensis pacisci, quia hoc non est lucrari, sed refarcire damnum. Ergo non tenetur ipse mons, vel dominus illius proprijs expensis alere eos, qui constituti sunt ad mutuandum; propterea omnes dicunt, Caiet. verb. usura, & Scotus lib. 6. q. 1. ar. 2. ad 4. Gloss. 14. q. 3. can. si foeneraueris. Panor. cap. consuluit, de usur. Sylu. verb. usura. 2. §. 2. quod mutuare alicui, obligando, ut ipse sibi, cum opus habuerit, remutuet, est usura, quia obligatio est appetibilis pecunia. Cum ergo mons obligetur mutuare petenti pro tali obligatione aliquid potest exigere. Et per hoc soluitur argumentum illorum: dicunt enim, si quis diues vellet constituere aliquam pecuniam separatam ad mutuandum, non potest exigere expensas, quas facit in conseruanda illa; dico non esse simile: nam diues hic non obligatur mutuare, cum exigitur, sicut obligatur mons, nec illius pecunia tradita est in pauperum commune dominium, sicut est pecunia montis; bene tamen posset aliquis mutuare, exigendo expensas a mutuatario, ut in casu posito dicebam, cum rogatus mutuat. Ex his ergo patet licitum esse, existentibus conditionibus.

De alijs montibus, qui in vsu sunt in quibusdam locis.

CAPVT XXXIX.

In quibusdam ciuitatibus solent etiam alij montes constitui a priore longe diuersi. Aliquando Princeps, Dominus, aut ipsa ciuitas, supra quosdam proprios redditus solent summam pecuniæ accipere, & singulis annis, octo, vel septem

Rr 3 pro

pro centum receptis reddere: v.g. Aduanæ huius vrbis solent domino reddere singulis annis decem millia ducatorum; se dominus aliquam partem, vel totam hanc summam dante constituit, recipiendo decem pro centum vel octo, singulis annis reddenda, talis summa annualis reposita pro solendis his dicitur mons, qui pro varietate reddituum, supra quas pecuniæ accipiuntur, denominari solet varijs nominibus, vt tritici, farinæ, mons gabellarum, vel decimarum, &c.

Solent autem isti montes in duplici esse differentia.

Quidam perpetui; quando summa accepta non potest redimi ab accipiente, nec perit redditus cum vita dantis, sed manet hæredibus; vt qui dat centum, vt in perpetuum accipiat octo singulis annis, aut septem, pro se, & hæredibus. Talis est mons, qui Romæ dicitur Fidei, à Clemente Septimo institutus, in quo septem pro centum dantur perpetuo.

Quidam sunt temporales, quando dantur redditus solum pro vita illius, qui summam monti imposuit: mortuo enim ipso, summa data manet apud montem, & talis est mons, qui Romæ dicitur recuperationis, à Pio quarto institutus. in quo duodecim pro centum dantur.

Est etiam tertia differentia, quæ in fine huius capituli ponitur, in qua montes sunt, reddentes decem pro centum. Isti montes secundum se sunt liciti, quia sunt ad modum census cuiusdam, aut perpetui, aut temporalis; tamen ratione alicuius circumstantiæ, possunt esse illiciti.

Sunt enim aliquot conditiones necessariae.

Prima est, vt talis mons verè sit redditus aliquis, puta, vel gabellæ, vel aduanæ, vel aliquid simile: si enim solum acciperetur pecunia, & pro centum receptis redderentur octo vel decem, vel alia summa, nec talis summa esset supra aliquos redditus imposta esset vsura: & in hoc eadem est ratio huius montis, & censuum.

Secunda est, vt supra tales redditus non sit tanta accepta pecunia, vt non possit pro centum reddere illam quantitatem, quam dat; verbi gratia mons habet redditus quatuor millium aureorum, ex quibus pro singulis centum dantur octo, non possunt plures pecuniæ assumi supra hunc montem, quam possunt ista quatuor millia continere, singulis annis reddendo octo: tunc enim esset vsura: quia haberet rationem mutui.

Tertia est, si non sunt plures pecuniæ acceptæ, quam mons fructificet, aut illa pars reddituum quæ monti exposita est, hoc tamen fuit, quando mons fuit primò institutus, tamen postea accidit, ut redditus montis sint minores, nec possit pro centum reddere octo constituta à principio, tunc qui habent pecunias supra montem, non possunt plura accipere, quam ille mons reddat pro centum acceptis. Sed hoc intelligendum est, cum fuit obligatio facta, ut, cum montis redditus variarentur, etiam variarentur illæ annuales pensiones pro singulis centum, ut si minus redderet mons, minores essent, si plus, maiores. Cum tamen non est talis obligatio, sed est certa summa constituta, in quocunque euentu, tunc licitè posset talis summa accipi, cum, quamvis plus mons fructificaret, non ob id summa illa augetur.

Quarta est, ut pereunte monte omnia pereant: debet enim esse sicut in censu: non enim census obligat, nisi dum res manet, supra quam est positus; sic istæ pensiones non debent durare, nisi durante monte. Vnde si casu aliquo periret ciuitas, dominus non teneretur reddere quicquam illis, à quibus supra acceperat redditus talis ciuitatis; secus autè si culpa ipsius periret aut minueretur: tunc enim teneretur reddere pensiones: potest nihilominus dominus montis obligare se ad soluendum in omni euentu, sed tunc augendum est pretiù: nam obligatio hæc pecunia æstimabilis est.

Quinta etiam est, ut in monte temporali plus pensionis detur, quam in monte perpetuo, in quo minor pensio datur, & ita fit de facto: nam in monte recuperationis datur duodecim pro centum, & in primo triennio non potest perire pensio, quamvis moriatur qui eam habet; immò post triennium admittitur protestatio ad vendendam pensionem, dummodò qui alienat & vendit, superuiuat dies quadraginta, si malè haberet, vel absens est; alias sufficit, ut ipse compareat personaliter apud eum qui accipiat protestationem.

Sexta est, ut Domini, Principes & alij non instituant tales montes absque graui necessitate & communi, præsertim Pontifices: nam per montes destruuntur res successorum, & tollunt multiplicari, ut in inopiã redigantur: ut enim præsentis domini congregent summam magnam pecuniarum, non curant redditus alienare futurorum: & multò maiori causa, & grauiori debent imponi & institui montes irredimibiles: sunt enim Romæ montes aliqui, in quibus non cessat pensio,

etiam mortuo pensionario, tamen possunt redimi pensiones, & isti dant decem pro centum; alij vero redimi omnino non possunt. Hæc igitur necessaria sunt, ut isti montes liciti sint, de quibus parum aut nihil scriptum habetur a pud doctores, quia non sunt antiqui. Caiet. ver. vsura, in fine, breuiter memorat horum & approbavit. Aduerte tamen aliquos solere vendere has pensiones supra montes impositas pluris, quam emerint, ver. grat. aliquis, pro centum, habet supra montem fidei septem perpetua, vendit alteri pro centum & quindecim, similiter de alijs etiam temporalibus. Et hoc licitum est: nam iidem redditus diuersis temporibus & locis plus minusue vendi possunt; sicut qui domum emir, potest pluri vendere, quam emerit, dummodo tamen quando venditur, tale pretium iustum sit, quod puto esse in talibus pensionibus: sæpe enim raritas reddituum emptibilium auget pretiorum eorum.

De societate officiorum.

CAPVT XL.

Solet Romæ contractus communissimus versari, qui dicitur societas officiorum, cuius origo & principium hoc fuit: sunt enim in Romana curia multa officia, quæ redditus quosdam habent, quæ Papa vendit certo quodam pretio. Cum autem essent multi, qui non haberent tantam summam, ut possent soli vnum emere, concessum est a Pontificibus, ut simul cum alijs emant talia officia; & quamuis in vno sit officium, tamen pro rata, socio, vel socijs, distribuatur redditus, puta, decem, aut duodecim pro centum. Est autem officium temporale: mortuo enim officiali, manet officium in manibus Papæ, nisi officialis ante mortem per quadraginta dies renunciauerit alteri officium. Ista dicitur societas officiorum.

Sunt tamen aliquæ conditiones necessariae ad talem contractum, ut licite fiat. Duæ priores sunt impositæ a Paulo quarto in bulla quadam super hoc, quæ ad nostras venit manus.

Prima est, ut supra alia officia, quàm Romanæ curiæ, non possint similes societates fieri: si enim fiant, tamquam vsurariæ censendæ sunt. Hæc autem conditio non est necessaria ad im-

trine

insecam rationem contractus : nam forsan posset idem fieri super alia officia Regalia , tamen quia id Papa prohibet, non fit.

Altera est, vt non admittantur socij vltra medietatem pretij ipsorum officiorum : solum enim potest officialis admittere socium vnum, vel plures, vsque ad valorem medietatis inter omnes eos, supra vero non potest. Et ista etiam conditio necessaria non est ex parte contractus; nam posset etiam vltra medietatem socios habere, tamen necessaria est ex præcepto Papæ. Vnde, peccaret qui contraueniret, & teneretur ad restitutionem. nam Papa iudicat contractum, qui non sic fit, vsurarium. Vltra has duas etiam alia duæ conditiones necessariae sunt.

Tertia enim necessaria est, vt socij non plus habeant redditus, quam obueniat ex officio. Vnde, si officia non fructificant nisi octo, vel nouem pro centum, non possunt socij habere duodecim; & in hoc est mirabilis abusus, quia semper exigunt duodecim, cum iam officia multò minus reddant, & rarissime dent tot. Nec excusantur isti socij hac fictione: solent enim, postquam inierunt societatem, locare fructus suos officiali pro tali pretio. Vnde, si postea decresecunt, ipsi tantundem recipiunt; sed hoc non excusat: nam non locant pro pretio tunc existente; hoc enim valeret, si pro pretio tunc occurrente locarent, & esset incertum, plus, minusve valituros fructus : nam tunc posset officialis lucrari hoc pro fructu; sed non sic faciunt: semper enim exigunt duodecim, quæ vix reddit officium hoc tempore.

Adde etiam, cum istæ societates semper sint tantum per sex menses, debent pretia constitui, quæ probabilia sint illius futuri temporis; & quod magis est, non debent locari pro toto fructu, quod speratur, sed pro minori : nam incertum minus valet certo, & præsentem, nec ad id debet cogi officialis. Adde etiam, cum ista officia sint temporalia, & incerta, non debent locari, sed est mera societas, & sub tali titulo à Pontificibus probata: fructus igitur debent esse vniformes socio, & officiali.

Imò est quarta conditio necessaria, vt cum ista officia aliquam habent industriam, sine qua, tantos non facerent fructus, non possunt socij tantam partem recipere, quantam officialis, qui laborat vltra sortem suam; secus si nihil industriæ postulerent. Hæc est societas verè officiorum. Tamen humana

auaritia his non contenta adinuenit quandam aliam iurandi viam: cum enim hoc officium pereat, mortuo officiali, & cum eo pereant pecuniæ vtriusque pro officio datæ, mixta fore quædam fors simul cum societate: socius enim inuit cum officiali societatem hanc, per sex tantum menses, fitque pacti, ut si intra sex menses moritur prius socius, pars ipsius, quam supra officium habebat, obueniat officiali; si verò prius officialis moritur, quamuis officium pereat, dabit socio suam partem securam, & ad hoc fidei iussores dat; dummodo mors non sit violenta: hoc enim factum est, ne alter alteri insidiaretur. Quod si socius, per quindecim dies ante sex menses finitos, protestatur se nolle societatem, tunc non perdit partem, dummodo sex integros viuat menses. Ista fors licita est: nam nullam facit in alterutro inæqualitatem: vita enim incerta est, & sicut socius lucratur sua sorte centum ex alterius morte, qui in officio perit, ita officialis lucratur centum in officio, ex alterius morte præcedente; similiter mille, plura, pauciorum, iuxta partem socii supra officium. Iam igitur non est contractus societatis purus, sed cum sorte coniunctus, sed ista fors est supra capitale ipsum, & partem officij.

Adhuc tamen his auaritia humana non contenta, aliud inuenit lucrum: solent enim socii hoc pactum cum officiali inire, ut si, facta protestatione quindecim diebus ante sex menses finitos, statim his completis diebus, officialis non reddiderit socio suam pecuniam, teneatur deinceps inire societatem, reddendo eos fructus, quos ante dabat, sed socius erit absque periculo, ita ut, quamuis moriatur ante sex menses completos, officialis non acquirat sibi illius pecuniam, sed hæredibus socii obueniat. Iste contractus sæpè fit Romæ, sed tamen frequentissimè est usurarius, quod ex duplici parte constat.

Primò, ex parte intentionis imponentis pœnam: nõ enim intendunt hanc apponere pœnam, ut suum capitale recipiant, quæ quidem intentio necessaria est in pœnæ appositione, ut supra diximus, sed intendunt merum lucrum, & saluum habere capitale, desiderantque ut officialis non reddat, sed pœnam incurrat.

Secundò, etiam ex eo quòd officialis sæpè non potest reddere tunc, absque culpa sua, & ut supra diximus, pœna non est exigenda ab eo, qui non habet unde reddat bona sua, absque culpa sua. Quòd si, qui talem imponit pœnam, rectam haberet intentionem, nimirum, quia vult sibi pecuniã societatis red-

di, &

& etiam officialis non redderet culpa sua, tunc licitè possent
 eis exigi pœna: sed non puto has pœnas modò sic imponi.
 Sed id maxime dissuadendi sunt homines ab his contractibus,
 quos absque mortali peccato, & obligatione restitutionis non
 merent. Possent etiam, eisdem seruatis conditionibus, petere
 & exigere ab officiali damnum emergens, si quod incurissent
 ex eo, quod officialis non reddidit, dummodo in culpa sit non
 reddendi, & socius animum habeat recuperandi suum capita-
 litas non licet, & dum modò damnum sit: nam solent sæpè
 petere, quando non redditur capitale, accipere eosdem fructus
 pro ratione damni, absque periculo capitalis, quia dicunt non
 esse in societatem.

Adhuc tertium adinuentum est, nimirum locatio quædam
 partis officij ipsi officiali facta, de qua iam diximus.

Tandem quartum inuentum est, dare partem officij alteri
 tertio: ver. g. aliquis indiget pecunijs, nec habet qui ei mutuo
 det, accedit officiali, & petit, vt ad societatem sui officij admit-
 tat aliquem, & ipse dabit fructus omnes, quos officialis datu-
 rus erat, & pariter ipsi lucrum obuenerit ex morte socij, ita vt
 officialis seruetur indemnis, nec perdat, nec lucretur, iste con-
 tractus licitus est: nam sicut licitum est dare pecunias alicui,
 obligando ipsum, vt soluat damnum, aut lucrum cessans cer-
 tum ex tali mutuo proueniens, ita potest, obligare officialis
 alium tertium, vt soluat fructus, quos ipse soluturus erat
 pro accepta pecunia, & lucrum etiam ipsi proueniet. Sic
 etiam licitum est super domum propriam imponere censum
 pro tertio. Vnde contractus est duplex, primus est officialis
 cum socio, secundus, officialis cum tertio. Sunt tamen duæ
 conditiones necessariae, quæ vt plurimum non seruantur Ro-
 mane, ob id est illicitus talis contractus.

Prior est: Non potest officialis plura supra officium suum
 recipere, quam sit valor medietatis officij sui, at isti sumunt
 aliquæ mensura, in quadruplo, plus quàm valeat officium: pro-
 pterea Paulus V. in sua Bulla optime disposuit, vt nullus ad-
 mittere possit societatem, nisi prius obtenta Papæ signatura:
 in qua ibi apparet, quàm oneratum esset officium.

Posterior etiam est, vt non plus exigatur à tertio, quàm sint
 officij fructus pro rata. Et in hoc est mirabilis abusus: nam socij
 exigunt à tertijs duodecim pro centum, super officia, quæ
 non dant, nisi quinque pro centum. Est talis contractus pes-
 timus, obligans ad restitutionem, quam primo loco tenetur

officia-

officialis facere illi tertio: nam quamvis tertius det primo, tamen ex natura contractus obligatur officialis & eum indennem seruare, & socius secundo loco tenetur officiali restituere; nec excusantur ignorantia, quia est crassa nimis: debent enim prius querere socij isti, qui dant tertijs supra officia aliorum, an talia officia sint onerata, adeo vt non possint recipere plura, & tenentur contractum cognoscere, maxime, cum bulla Pauli Quarti omnibus fuerit publicata; & quamvis ignorantia excuset, id est à peccato, sed non à restitutione facienda, cum primum confiterit, illicitum esse talem contractum.

Et est tertia conditio necessaria, vt, quando faciunt hanc societatem, dent totum capitale, & non accipiant solutionem anticipatam: solent enim dare quingentos aureos pro societate, & statim accipere pro fructibus quinquaginta; vnde non dant verè, nisi quadringentos quinquaginta.

De alijs tribus speciebus.

CAPVT XLI.

Alia est secunda societatis species communis, puta, cum multi pecunias suas negotiationi exponunt, ut vt singuli pecuniam exponant, & simul laborem, & industriam in negotiationem necessariam adhibeant. Talis societas licita est, seruatris tribus conditionibus.

Prima est, vt negotiatio sit licita, & non contra iustitiam.

Secunda, vt singuli exponant in periculo perdendi de capitali suo, sicut se exponunt lucro. Vnde, quoties aliquis vult lucrum, & non exponere se periculo perdendi, nisi alius interit contractus, de quo dicemus post, est iniusta societas, nec potest licite acquirere.

Tertia est, vt lucrum proportionaliter diuidatur, proportionem pecuniarum expositarum, industriarum, & laborum: minus enim de lucro obuenit ei, cuius capitale minus est. Ista sunt manifesta.

Tertia alia societas est, quando labor, & industria communis non est, sed vnus industriam ponit, vel laborem, alius pecuniam: vel vnus partem pecuniarum, & industriam, alius solam pecuniam:

cuniam:

nam de qua societate, habetur ff. pro socio, l. societatem. Et eadem licita est, seruatis duobus.

Primum est, vt quisque sit expositus periculo perdendi suum capitale; Verbi gratia, qui pecuniam exponit, si forte pereat, suo damno pereat, qui ponit laborem & industriam, si causa nihil lucri obueniat, laborem perdat, salua pecunia alterius.

Alterum est, vt in lucro diuidendo computetur quantum valeat labor & industria, & quantum etiam periculum hoc valeat, quod labor & industria semper perdat, dum nihil est lucri, at pecunia non; nam salua manere potest: & in hoc bene dicit Nauarr. cap. 17. num. 255. quicquid velit Soto lib. 6. de iust. q. 6. art. 1.

Auerte tamen hic, quod contractui societatis possunt adnecti alij duo, puta, assicuratio quaedam capitalis: sicut enim vnus potest capitalis assicuracionem cum tertio facere, ita potest cu socio, dato iusto assicuracionis pretio: potest etiam locare fructus, & lucrum pretio, conuenienti, vel assicuracionem fieri facere, & ita sentit Caie. opusc. 16. q. 11. & Nauar. c. 17. num. 355. quamuis Soto non id recipiat, lib. 6. q. 6. art. vltimo; sed non videtur id negandum, dum modo, vt Caiet. dicit, non obliget sociu ad tales contractus, sed liberum relinquat, sicut & aliam tertium.

Quarta alia societatis species est animalium, cum aliquis emit animalia, & alij dat curanda, reseruata parte lucri, & est licita, seruatis quibusdam.

Primo, vt portio reseruata sit iusta: debet enim haberi ratio laborum, industriae, & expensarum illorum, quibus animalia committuntur.

Secundo, vt animalia pereant ipsi domino, & non ipsis contractoribus.

Tertio, vt, cum absque negotiatorum culpa non habetur lucrum ex animalibus, quia forte non exponunt animalia labori, vel alijs negotijs, tunc liberi sint socij a lucro reddendo Domino. Hæc omnia

sunt clara, & communia.

De censibus, Quid census.

CAPVT XLII.

DE censibus vide Conr. q. 72. Sylu. vsura, 2. §. 12. Soc. lib. 6. de iust. q. 5. Henr. quodlib. 1. q. 39. Canonistas super ciuitate, de vsuris. Ant. 2. p. tit. 1. cap. 11. §. 9. Miranda in summa Concil. post Concilium Floren. de hac etiam materia extat bulla Pij V. quam refert Nauar. in man. c. 27. nu. 239. Legitur, inter alia de contractu censuum tractanda, illud primum est, quid sit census. Vt autem in presenti sumitur, videtur sic posse definiiri. *Est ius exigendi pensionem de re vili alterius.* In qua definitione quatuor partes continentur.

Prima est, *Ius.* Sumitur autem hic ius, pro facultate aliquid faciendi: sic dicimus dominum habere ius in seruum, scilicet habere facultatem imperandi ei secundum iustitiam. Eligitur census ius quoddam; quale autem sit, exprimitur in secunda particula, puta, *Exigendi pensionem.* Vocamus autem pensionem, quotam quandam, vel fructuum, vel pecuniarum, que alicui soluitur. Census igitur est facultas exigendi, secundum iustitiam, pensionem, seu partem quandam fructuum, vel pecuniarum. Vnde autem ista pensio sit extrahenda, exponitur in tertia particula, puta, *De re vili alterius,* id est, extrahendus, quos res aliqua apud alterum facit: debet enim esse res, que non sit vsu consumptibilis, qualis pecunia est: hæc enim vsu consumitur; sed talis, quæ vsu non consumitur, sed fructificat, salua substantia: Verbi gratia, habet aliquis domum, vel vineam, vel alia fructificantia, & facientia aliquos proventus; alius autem habet ius exigendi ab eo aliquam partem talium proventuum; hic dicitur habere censum supra rem illius, quia tale habet ius.

Quarta particula est, *alterius,* id est, res illa, vnde pensio soluitur, non debet esse habentis censum, sed soluentis ipsum, ad differentiam locationis, & emphyteosis: qui enim locat domum alteri, habet quidem ius exigendi ab eo pensionem, sed non dicitur tale ius, census, quia non transfert dominium domus alteri, sed tantum vsu; at verò qui habet censum super rem aliquam, non habet dominium eius, sed hoc manet apud soluentem pensionem. Et propter hoc etiam differt ab emphyteosi, in qua quis accipit pensionem de re, cuius domi-

nium

nam habet; sed vsus est alteri in perpetuum traditus. Et ex hoc intelligitur ratio cuiusdam textus: nam in cap. constitutus, de religiosis domibus, condemnatur quidam Abbas, qui multis annis non soluerat pensionem de re, quam sub censu acceperat; condemnatur autem, ut omnia soluat, non tamen praedium, seu rem amittat; & tamen, si erat emphyteosis, praedium amittebat, & redibat ei, cui soluere pensionem tenebatur, ut habetur l. z. C. de iur. emphy.

Rationem autem huius dat Gloss. super illud capit. constitutus; nimirum, quia in censu, qui soluit, dominium rei habet, at in emphyteosi, non. Ob id, in hac, res reuertitur ad dominum, cum pensio soluitur, non in censu; quia ipse, qui habet, dominus est: solum cogendus est ille pensionem totam soluere.

Est igitur census, ius exigendi ab aliquo pensionem aliquam, super re, cuius dominium apud ipsum met est. Dicere: quare dicitur census?

Aduerte. Olim res, & bona ciuium recensebantur ab Imperatoribus, ut iusta fieret ipsorum aestimatio, ad tributum soluendum, ut habetur l. forma, ff. de censibus; talis autem aestimatio dicebatur census. Inde, nomen hoc ampliatum est, ut ipsa res familiaris, quae aestimabatur, diceretur census.

Et rursus tertio, ipsum tributum, & pensio, quae soluebatur, etiam dictus est census. vnde, illi interrogabant, an liceret censum dare Caesari.

Atque his modis apud auctores hoc nomen vsurpatur; sed in praesenti apud Doctores Theologos, & Iuristas aliter sumitur.

Quarto modo sumitur census pro ipso iure, quod est in accipiente pensionem, ad exigendum eam ab altero; & sic in praesenti sumitur, & à nobis hoc modo census definitus est.

Quotuplex census.

CAPVT XLIII.

Nunc diuisiones, & modi censuum horum consideranda sunt; nec oēs diuisiones in medium proponemus, sed principales, & de quibus minus est dubium.

Pri-

Primo quidem diuidetur in resignatiuum, & consignatiuum.

Resignatiuus est, cum quis rei suae dominium alteri transfert, retenta sibi aliqua fructus pensione; & de hoc ceusu erat illud c. constitutus, superius allegatum.

Consignatiuus est, cum quis, retento dominio rei suae, partem aliquam fructus in alterum transfert. Tales census modo in vsu sunt.

Horum autem, quidam sunt perpetui, quidam temporales.

Illi dicuntur perpetui; cum quis habet ius supra rem alienius, & haeredes ipsius exigenti pensionem; & non solum hic, sed etiam eius haeredes, vel illi, in quos tale ius transfulerit.

Temporales vero sunt, qui ad tempus quoddam sunt, & postea cessant.

Secundo, perpetui sunt in duplici differentia: Quidam redimibiles, quidam irredimibiles.

Redimibiles sunt, cum, qui soluit pensionem, potest se liberare a soluenda ea, reddendo pretium illi, qui habebat ceusum, quo ipse talem emerat ceusum.

Irredimibiles vero, cum non potest pretio se liberare a pensione soluenda. Aduerte autem, quod non dicuntur irredimibiles, quia censuarius non potest se liberare a pensione, ipsam pretio redimendo: nam si velit, & accipiet is, qui supra ceusum ceusum habet, potest se redimere, sed dicitur irredimibilis, quia censuarius non potest secundum iustitiam cogere alterum, ut pretium accipiat pro redimenda pensione: sed post decretum **Pij Quinti** omnes census sunt redimibiles. Similiter in redimibili intelligas, potest quidem numquam redimi, & manere in haeredes, ob id dicitur perpetuus; tamen si censuarius vult, potest cogere alium, ut pretium accipiat, ad pensionem redimendam: atque ob id, dicitur redimibilis.

Rursus tertio, temporales sunt in duplici differentia, quidam ad tempus incertum, quidam ad tempus certum.

Illi, qui ad incertum tempus sunt, aliquando sunt pro vita alterius, vel vtriusque, & dicuntur vitalia; ut, qui habet ius exigendi pensionem ab aliquo, vel de re alienius, dum alter, vel vterque vixerit; quod tempus est incertum. Aliquando non est ad vitam, sed ad alium terminum incertum, ut, dum quis hereditatem consequutus fuerit, vel aliquid obtinuerit. Simi-

Inte

er, qui ad tempus certum sunt, aliquando sunt ad modicum tempus, vt, cum sunt ad annos aliquot infra decem; aliquando non modicum, vt, cum ad decem, aut supra.

Rursus quartò. Omnes hi, aut sunt fructuarij, aut pecuniarij.

Fructuarij, cum pensio est aliqua pars fructus rei, super quam est census.

Pecuniarij, cum est aliquod pecuniæ pretium taxatum: & hi sunt in vsu magis, quam illi fructuarij. Omnes isti census dicuntur reales, quia impositi sunt super rem aliquam, puta, domum, agrum, prædium, vel quid simile; & hos comprehendit definitio census posita. An verò sit census personalis solum impositus super personam, absque vllius rei vtilis obligatione, dicendum est postea.

De emptione & venditione censuum.

CAPVT XLIIII.

Tertio loco, nunc perserutandum est, an licitè possit quis vendere tale ius alteri super res suas, & licitum sit alteri emere.

Dico primò, absque dubio fatendum est, talem contractum ex natura sua licitum esse, posseq; vnum vendere, alterum autem emere.

Potestque hoc probari ex auctoritate multorum doctorum, qui id affirmant; inter quos, sunt Hosti. ca. in ciuitate. de vsura. Sylu. ver. vsura, 2. §. 12. Contrad. quest. 72. Sor. lib. 6. de iust. q. 5. tra. 1. Nauar. super ca. 14. q. 3. in fine summæ suæ. Hoc etiam multi tenent.

Ratio autem est aperta; primò quidem ex Inst. lib. 2. tit. de v. tract. vbi habetur, posse aliquè legare alteri vsum, vel vsum fructum rei, idque etiam facere alijs stipulationibus & pactio- nibus. Potest ergo vendere.

Probatur etiam secundo, Si iste contractus esset ex se illicitus, sequeretur, quòd nullis appositis circumstantijs, posset fieri licitus, quia, quod ex se malum est, nulla potest conditione apposita fieri bonum: hoc tamen asserere, esset temerarium; nam in extrau. Martini, & Calixti, tit. de emption. & vendit. approbantur isti contractus, quibusdam appositis circumstantijs.

Præterea tertio, in isto contractu est materia vera venditionis, & emptionis; ergo potest fieri emptio, vel venditio. Antecedens probō; nam ius exigendi fructus est pecunia estimabile; ergo licite potest vendi, & emi. Vnde, nō sunt audendi aliqui Canonistæ, inter quos est Inno. super cap. in curia, de vsur. qui dicunt census iam factos posse licite vendi, & emi; vt, si, ego habeo censum super aliquem, possum vendere illum, tamen non licet denuo constituere illos per venditionem, & emptionem; quia dicunt, quod tunc pecunia emitur, quod non licet.

Sed falluntur isti, vt benè dicit Sylu. loco allegato; nam non emitur pecunia. sed ius exigendi pecuniam, vel fructus: de est argumentum contra istos: nam si non licet denuo census constituere; ergo nec licebit factos vendere: nam ij denuo constituti sunt prius. Quod si à principio essent illiciti, etiam etiam postea, per regulam iuris, non firmatur, lib. 6. vbi habetur, non firmatur tractu temporis, quod ab initio iure non subsistit. Est igitur contractus iste, quo census emitur, & venditur, seu nouus, siue antiquus, ex natura sua licitus.

Dico secundò in particulari. Emptio, seu venditio census perpetui, tam redimibilis, quam irredimibilis, licita est contractura sua. Et quidem de perpetuo irredimibili minor est ambiguitas; quia est pura emptio, & venditio iuris, supra fructus licitius rei, potestque vendi fructus, seu usufructus rei. Redimibili autem non est tam certum, an liceat; tamen etiã certum est: nam emptio ista non est nisi cum pacto retrovendendi: qui enim emit censum, obligatus manet, vt quoties venditor velit reddere pretium, quod ab emptore accepit, retro emat ius ipsum iterum vendere, quod vocant venditorem redimere censum, id est, iterum emere. At contractus emptionis, cum pacto de retrovendendo, ex se licitus est: igitur talis census licitus erit, nisi aliqua apponatur mala circumstantia. Quamuis autem hoc ita sit, spectata natura contractus, tamen propter suspicionem vsuræ, prohibitus est à Pio V. vbi supra, census irredimibilis; probatus verò redimibilis.

Dico tertio. Census temporalis licitus etiam est: sicut enim ius exigendi pensionem perpetuam, pecunia estimabile est, ita etiam ius exigendi ad tempus aliquod. Licite igitur potest emi, & vendi, dummodo ad sint conditiones, quæ postea exponuntur.

Dico quartò; non solum emptio census fructuarij, sed etiam

pecu-

pecuniarij licitus est: & ratio est, quia fructus rei, sunt aestimabiles pecunia: sicut ergo licet dare fructus, ita etiam licet dare pecunias pro redditu. Hæc sunt, quæ ad iustitiam contractus huius pertinent, si secundum se, & suam naturam considerentur.

*De necessarijs ad iustitiam contractus huius
secundum se.*

CAPVT XLV.

Aliqua sunt necessaria, ut emptio, aut venditio censu, etiam secundum se, licita sit.

Et quidem ad censum perpetuum, tam redimibilem, quam irredimibilem, hæc necessaria sunt.

Primum est, ut verè sit apud venditorem res illa, cuius fructus venduntur; aliàs enim esset fictus contractus, ob id iniustus, & usuræ proximus, immodò verò usura, ut vult Pius V. in bulla citata.

Secundum, ut reddat verè illos fructus, in quos ius emitur. Si enim non reddit tot, quot venduntur, iniusta est, quia venditur, quod non est, aut minus eo, quod est: unde, ut in eadem bulla decernitur, supra rem non reddentem fructus, saltè tot, quot venduntur; aut reddentem quidem, sed alijs censibus venditos, non licet nouum imponere censum. eadem ratione quia ficta est emptio.

Tertium, ut si res illa pereat, vel fructus eius pereant, absque culpa venditoris, tunc emptor non possit percipere fructus: cum enim sit emptio quædam, iste contractus debet leges obseruare emprionis: in emptione autem, si res emptæ perit, damno emptoris perit. Cum ergo venditor ius in fructus rei suæ vendiderit, qui emit, debet suo emere periculo: cum enim fructus perit, ius in fructum etiam perit: idemque censendum est, si res minores facit fructus.

Quartum, ut pretium sit iustum.

Ad iustitiam autem præcij sunt computanda ista, quantitas fructus venditi; ut, si sunt decem, aut octo, aut quinque: plurimum magis valeat.

Rursus perpetuitas: nam octo perpetua singulis annis, et si pactò redimendi, magis valeat, quam decem tempore, aut cum pacto redimendi; sicut res emptæ absque pacto.

retrouendendi, magis valet, quam cum pacto retro-
dendi.

Rursus, certitudo fructuum; minus enim valent decem in-
certa, quam octo certa: vnde, quò magis fructus sunt firmi, &
securi, eò maius debet esse pretium, quo venduntur.

Quintò, qui emit censum, non debet obligare vendi-
torem, vt redimat, seu recemat: nam tunc videtur mutuum vi-
tuale cum lucro, postquam percepit emptor fructus, saluo ca-
pitale. Quamuis autè hoc quintum non sit simpliciter neces-
sariũ ex sola natura rei, quia adhuc cũ tali obligatione differt
iste contractus à mutuo; cùm in censu emptor subeat periculum
perdendi capitale, si pereat res, supra quam est census; in mu-
tuo autem hoc periculum non sit, tamen iudicandum est neces-
sarium, quia alias esset periculosus contractus: ob id,
ab omnibus Doctõribus obseruandum in tali contractu pon-
nitur.

Ista sunt quæ ad iustitiam huius contractus necessaria sunt,
si secundum se iudicetur contractus.

Non tamen necessarium est suapte natura, vt sit aliqua res
certa, & signata, cuius fructus vèdantur: nam sicut quis potest
vendere ius in fructus cuiusdam rei suæ; ita etiam potest ven-
dere ius in fructus totius rei suæ: quamuis frequenter modo
soleat certa res signari; immò debeat ex decreto eiusdem P. v.
qui vult, vt res censui subiecta nominatim certis finibus deli-
gnata sit.

Rursus, non est necessarium, vt venditor in censu redimi-
bili habeat facultatem redimendi censum, reddendo pretium
per partes: nam sicut licitus est contractus, cum quis vendit
cum pacto retrouendendi, vt totum pretium, & non per partes
reddat, ita etiam in censu; quamuis posset fieri illud pactum
sic redimendi; sed tunc pretium, quo census emitur, decre-
re debet, sicut decresebat, cum apponebatur pactum retro-
uendendi. Nec obstat huic, quòd in extrauag. Martini, & Ca-
lixti apposta est conditio redimendi etiam per partes: nam

Pontifices non dixerunt id esse necessarium, sed
contractum cum tali conditione narratum
approbarunt, oppositum tamen
non damnantes

De iustitia emptionis censuum, vt modò fit.

CAPVT XLVI.

Humana cupiditas, simplici emptione censuum non contenta, timens periculum fructuum rei, quia contingit rem sæpè perire, aut sterilem fieri, & tunc nullos, vel paruos facere fructus, excogitauit modum, quo tale effugeret periculum: petit enim à venditore, vt fructuum assecurationem quandam faciat, obligando alia omnia sua bona, suamque personam; imò duos aut tres fideiussores adhibendo, qui se, suaque bona mobilia, & immobilia obligent ad certitudinem illorum fructuum, ita vt, si casu, aut euentu aliquo, res, supra quam census est impositus pereat, aut ipsius fructus, tunc ex alijs bonis extrahatur, vnde pensio census soluat, & istam vocant apothecationem personæ, & bonorum: non enim bona apothecantur ad securitatem rei tantum, putà, quod res illa sit venditoris; aut ad fructuum solutionem, sed etiam ad certitudinem fructuum. Hunc autem contractum ex se licitum esse, si adsint debitæ circumstantiæ, nullus vel mediocriter doctus dubitare debet. Et hoc probatur.

Primò; nam licet alicui ementi domum aliquam cum pacto retrouendendi, pacisci cum venditore, de assecuratione domus, dum apud emptorem manserit, sicut poterat cum tercio, dum modo pretium talis assecurationis soluat: talis est iste census redimibilis perpetuus cum ista apothecatione, quæ est assecuratio quædam. Vnde, si emptor soluat venditori pretium iustum, licet id facere. Similis assecuratio potest esse in simplici venditione, absque pacto retrouendendi, nec illa hic apparet vsura: nullum enim est mutuum, cum venditor non cogatur pretium reddere, aut rem redimere: pretium aliquod intercedere potest, id erit iniustitiæ, putà, cum non est iustum pretium; hoc tamen posito, licitus est contractus,

Probatur secundò, & hoc argumentum est validissimum. Scolaus Papa, qui fuit parum ante Calixtum, & post Martinum anno 1450. bullam edidit ad petitionem Alphonsi Regis Aragoniæ, in qua approbauit huiusmodi contractus, qui fiunt in regnis Siciliæ, citrà, & vltra Pharam; & statuit licitos esse, & absque peccato, posse exerceri, & exprimit istas obliga-

tiones, & apothecationes bonorum stabilium, & mobilium, ad censum firmandum, & alias pactiones, de quibus inter se contrahentes hi conteniunt. Et nota, has obligationes non esse alias, quam eas, quæ modo fiunt: nam istæ sunt antiquissimæ, & vincunt memoriam fere hominum. Non ergo dubitauerit, licet, hos contractus ex se licitos esse alias nulli hominum nocerent. Idem censendum est de his, apud quos consuetudo talis iam viget similes contractus faciendi. Nec huic obstant illæ extræ Martini, & Calixti, in quibus continentur aliquæ conditiones his contractibus, qui modo fiunt, contrariæ. Nam ibi ponuntur hæ circumstantiæ.

Prima est, vt res certa signetur, supra quam census constituitur, & hæc solum maneat obligata censui, non alia bona.

Secunda, vt, hac pereunte, venditor non obligetur solvere censum.

Tertia, vt liceat venditori per partes redimere, si velit.

Quarta, vt emptor totum pretium, quo census emi, soluat venditori statim ac emit.

Istæ conditiones illie exprimuntur, sed scio, non esse tamquam necessarias à Pontificibus probatas, sed apud illos, qui sedem Apostolicam consulebant. Ita, tales tunc fiebant contractus, & sic narratos sedes Apostolica approbavit; non tamen voluit damnare contractus, in quibus aliter fiebat. Quæ toto hoc c. dicta sunt, intellige debent secundum ius naturæ: modo enim post extræ Pij, non licet facere conuentiones ad casus fortuitos obligantes: nam, licet fieri possint assicuraciones, & fidei iussiones, non tamen tales, vt, re censui subiecta pereunte ex casu fortuito, teneatur censarius censum solvere. Item sunt necessariae quatuor illæ conditiones, tertia excepta de qua non fit mentio in Bulla Pij Quinti.

De necessarijs ad huiusmodi contractum.

CAPVT XLVII.

QUæ igitur ex natura rei necessaria videntur ad iustitiam huiusmodi contractuum, vt modo fiunt, ista sunt.

Primo, vt sit res aliqua supra quam imponitur census, siue sit determinata aliqua res, siue non: vt, cum quis supra omnia sua bona in communi census imponit.

Secun-

Secundò, vt sint verè illi fructus, aut expectentur, qui vendantur, vel in quo emitur ius. Vnde, supra domum fructifican-tem quinque, aut sex, non potest imponi census exigendi de- cem. Nec in hoc consentio cum Soto: vult enim, hoc non esse necessarium, sed posse tales census imponi, quamuis res mi- nus fructificent, quia iste doctor putat censum imponi super personam directe: est enim ius exigendi à persona; res autem illa potius est velut pignus. Sed istud mihi non placet: quam- uis enim crediderim ex natura posse census imponi super per- sonam, tamen isti, qui modò fiunt, non sunt huiusmodi, sed super res: nam vendens, vendit ius, quod habet supra fructus, aut eorū partem suæ rei, & tunc non potest vendere, nisi quod habet: Vnde, non licet censum imponere, supra dictum valo- rem, vt tenet Sylu. loco citato, cum communi Doctorum sen- tentia. Nec putes me velle dicere, non posse imponi censum super fructuum valorem, qui respondet valori rei, v.g. domus aliqua valet mille, & reddit solum quinquaginta quibus re- spōdent quinque pro centum, nolo dicere, non posse imponi censum, septem, aut octo pro centum, nam potest imponi su- pra valorem quinquaginta: illud enim non est necessarium; nam illa quinque minus valent emptori, qui non emit nisi fructus, non autem rei substantiam, ob id, dat minus pro eis, quam valeant, venditori, qui simul habet dominium rei. Hoc igitur modo secundum est necessarium.

Tertium etiam necessarium est, vt venditor non cogatur ab emptore, ad redimendum censum; nam tunc videretur mutuū virtuale,

Quartum, vt illa bonorum apothecatio non sit talis, vt ven- ditor nullo modo possit, absque emptoris facultate, rem ali- quam vendere, aut alienare: hæc enim esset iniusta obligatio, cum plus multò valeat ista obligatio, quam communiter ab emptoribus pretium soluatur. Sufficiet, vt res, supra quā cen- sus imponitur, sic obligata maneat, reliqua verò bona ita apo- thecetur, vt, dum in potestate venditoris sunt census, assecu- rationi fiat obligata.

Quintum etiam necessarium est, vt pretium sit iustum; sed quomodo iustum pretium cognoscatur, non est facile expli- care. Aduerte tamen aliqua,

Primum est, non solum, ad cognoscendum iustum pretiū, attendenda est quantitas pensionis, quæ emitur, sed valor as- securationis, qui per apothecationē fit: nam vtrumq; emitur:

assecuratio autem tantò minus valet, quanto fructus est certior, & tantò magis, quanto fructus est periculosior. Ex quo sequitur, non oportere esse sollicitos, inquirendo, an fructus sit certus, siue incertus: nam si fructus est incertus, tunc datur minus pro pensione, plus pro apothecatione; si vero certus est, contra, stante eodem pretio, v. g. do centum pro pensione, cum apothecatione, si pensio est incerta, tunc do sexaginta pro octo, quadraginta pro obligatione, & assecuratione; si vero est certior, tunc do octoginta pro pensione, viginti pro assecuratione.

Secundum est, Regula dignoscendi pretium in censibus, & conscientiarum ementium possint quiescere, triplex est.

Prima est, lex Principis. Cum enim lege pretium taxatum est, tunc illud pro iusto est habendum: vnde modo in Hispania lege regni sancitum est, vt vnum ematur quatuordecim, & decem pro centum quadraginta in censu perpetuo redimibili: & vtramque alij Principes id facerent.

Cum tamen ista lex non est, altera regula est consuetudo communis apud diuites, & inopes, sic vendendi census. Cum enim sit census emptio quaedam, in emptione pretium nullum, aut ex lege, aut ex communi consuetudine sumitur, non ex huius, vel illius hominis arbitrio, aut inopia: sapè enim pauperes coguntur vilissimè vendere, nec tale pretium iustum est. Ex hoc infero vnum, non esse reprobandos census illos, in quibus decem emuntur pro centum, cum consuetudo viget communis talium venditionum, vt fit in Marchia, Sicilia, & alijs locis. Quamuis enim melius, & tutius esset, octo accipere pro centum, tamen non debent damnari, qui decem emunt pro centum in perpetuo redimibili: & hoc probatur argumento irrefragabili: nam Nicolaus in illa bulla concedit, vt decem emantur pro centum, etiam cum apothecatione omnium bonorum, dummodo non excedatur ille numerus denarius: & quamuis hoc concesserit, & probauerit pro Sicilia intra, & extra Pharam, tamen idem censendum est in illis locis, vbi talis viget consuetudo.

Deficiente autem lege, & consuetudine, tunc tertia regula est seruanda, similitudo locorum ad loca, in quibus est lex, vel consuetudo: nam cum sunt similes regiones, quantum ad rerum pretia, & res ipsas, potest simile seruari pretium, licet contractus talis in vltu non sit. His igitur vis pretium iustum dignoscitur; quo seruato simul cum alijs conditionibus

nibus dictis, tales contractus cum apothecationibus liciti
sunt.

*De quibusdam circumstantijs in censibus
appositis.*

CAPVT XLVIII.

Solent aliæ circumstantiæ his censibus addi.

Quarum vna est pœna; nimirum si venditor per duos
vel tres annos pensionem non soluerit, possessione, super
quam est census, spoliatur; apponere autem pœnam licitum
est ex natura rei, & ita in lege Tauri. 68. apud Hispanos sancit-
ur: tamen ut iuste exigatur ab emptore, duplex est conditio
necessaria.

Vna, ut culpa venditoris intersit, putà, qui culpa sua non
soluerit, cum tamen potuerit; cum enim absq; culpa sua non
soluit, nimirum, quia non habet, nec culpa sua incidit in talē
impotentiam, tunc non potest iuste exigere, non enim pœna
exigenda, ubi nulla intercedit culpa.

Altera est, ut sit pœna proportionata culpæ: non enim lici-
tum est, pro minima culpa grauem imponere pœnam, nec
iuste exigatur post culpam. His duobus seruatis licite apponi-
tur illa pœna.

Solet secundo alia etiam interuenire circumstantia, nimi-
rum, in censu perpetuo redimibili solet poni sub pacto, ne per
tres primos annos redimi possint. Hoc autem etiam licitum
est, ut bene dicit Soro, sicut etiam licitum est emere domum
cum pacto retrouendendi, hac conditione, ut per annum,
vel plus non redimatur. Ut tamen hoc possit iuste fieri, debet
emptor augere pretium, quo emit censum: nam illa conditio
onerat venditorem, qui alias poterat, quoties libebat redime-
re. Vnde, si centum dantur pro decem absque tali conditio-
ne, iniustum videtur non plus dare pro decem, illa apposi-
ta conditione, per quam plus oneratur venditor; quoties e-
nim extra communem rationem censuum, cum illa apothec-
atione, oneratur plus venditor, tunc pretium emptoris de-
bet augeri, aut pretium pensionis minui: sicut, cum emptor
magis oneratur; aut pensio augeri, aut pretium emptoris mi-
nui debet.

Solet tertium aliud apponi in hoc eodem censu redimibili nimirum, ut nisi intra certum tempus redimatur, puta, quatuor, vel quinque annos, maneat irredimibilis: & hoc etiam licitum est ex se; tamen debet considerari an sit conditio, an sit potius pœna talis circumstantia: si enim sit conditio, tunc debet venditor accipere minus pretium pro eadem pensione, quam dare solet pro perpetuo irredimibili absque tali conditione, quia non tantum oneratur venditor. Si tamen sit pœna quædam, tunc contractus videtur usurarius; nam obligat emptor venditorem, ut reddat sibi capitale cum lucro ex pensione habito. Cum verò est conditio, non est usura; nam pen- inde est, ac emere censum perpetuum, cum hac conditione, ut possit venditor, si velit, redimere intra tres vel quatuor annos primos. Hoc autem licitum est, sicut etiam licitum est emere irredimibilem & redimibilem: iste enim est maximus utriusque quodammodo. Hæc iam non habent locum, post breue Pij quinti prohibentis census irredimibiles. Conditio tamen ista potius est ex parte venditoris; tamen ut modo fiunt, non ita est: nam tales census pretio redimibilibus, & redimibiles vocantur, ob id, hoc iniquum est, & usurarium apparet.

Solet quartò alia apponi circumstantia, cum non solum venditor pensionem, emptor facit eam pretium, quo censum regit. v.g. emit quis decem pro centum, nisi ille alius soluat futuro tempore decem, computatur in censum, & iam tenetur dare pensionem respondentem centum & decem, pura, vnde cum. Hoc autem ex natura rei aliquando est licitum, aliquando non. Cum venditor habet unde soluat, & non vult id solvere, iuste fieri potest, sicut, qui mutuat alteri pro certo tempore, si hic non soluat, cum possit, ille alius potest iuste exigere, vnde de pretium pro censu habeat: cum verò venditor non habet, & absque culpa non potest solvere, tunc iniustitia est id exigere ab eo.

Solet etiam tandem quintò fieri, ut venditor in emptorie census anticipatam soluat pensionem, vnde fit, ut qui emit decem pro centum, si statim ei detur pensio, non soluat nisi nonaginta. Hoc autem est iniustum, & nullo modo tolerandum; hic enim verè non emit iusto pretio, nec dat pretium pro pensione. Debet igitur totum pretium dare, & pensionem suam expectare tempore, nisi sit forsan iam ab aliquanto tempore factus contractus, & solutum pretium: ut, si, in secundo anno

fiat; sed tunc, ratione talis conditionis venditorem onerantis, est augendum pretium pro pensione.

De censu temporali.

CAPVT XLIX.

Censum temporalem esse licitum, superius diximus, tam cum, qui ad tempus certum, quam qui ad incertum fit. In utroque id est necessarium: vt venditor non det pretium, peracto tempore, emptori: tunc non esset nisi mutuum cum lucro: redderet enim capitale cum lucro, quod est usura. Non igitur debet obligari venditor, tale capitale reddere.

Debet etiam obseruari in temporali ad certum tempus, vt non detur pensio, ita vt omnes pensiones sumptæ simul excedant capitale, v. g. dedisti centum, vt tibi per decennium pensio detur, ista non potest esse vndecim, quia iam esset usura virtualis, ac si dares centum, vt post decennium tibi darentur centum & decem, sed debes ad summum exigere decem. Ita dicitur lib. 6. q. 5. art. 2. & est communis opinio. In hoc casu liceret, eum pensio est incerta, quæ potest augeri & minui, vt, si exigeres fructus, qui aliquando decem, aliquando octo, aliquando duodecim valent, tunc, si casu plus valerent, exigere possent; cum verò tempus est incertum, non est id necessarium: nam sicuti est periculum pro vna parte, ita etiam est pro altera, quamuis semper sit attendendum, ne sit certius vnum, quam alterum: ibi enim iniustitia esset. Isti verò census temporales non sunt multum in vsu, & præsertim ad certum tempus.

Quid sit cambium, quot eius species.

CAPVT L.

Cambium est permutatio negotiatoria numismatis, pro numismate. In hac definitione tres sunt partes.

Prima est, *Permutatio*, hoc enim significat verbū cambire, vnum pro altero permutare.

Secunda est, *Numismatis pro numismate*. Non enim quælibet permutatio est cambium, vt in præsentī sumitur. Sunt enim tres species permutationis.

Prima

Prima est antiquissima, qua res rebus permutabantur: quidam enim homines habebant res aliquas, & indigebant aliorum rebus, hi pariter illorum rebus indigebant, tunc inuicem mutabant; & sic à principio erant emptiones & venditiones. Videntes autem grauius incommoda, quæ in hoc erant politæ, non enim homines semper rebus alterius indigebant; aut in tanta copia, inuenerunt vnum pretium commune pro rebus omnibus, & hoc fuit numisma; quod cum omni recommutatur. Et sic facta est secunda permutationis species, numismatis pro rebus; in qua emptiones & venditiones modo consistunt. Postea verò quia numismata erant diuersi valoris, quædam maioris, quædam minoris pretij, & homo indigebat aliquando maioribus, aliquando minoribus numismatibus facta est tertia mutatio, numismatis cum numismate. Et hoc vocatur cambium.

Rursus, quia numismata in aliquo loco, vel tempore maioris sunt pretij quam in alio, humana cupiditas inuenit commutare numismata quædam pro eisdem in alio loco, vel tempore: & hæc permutatio etiam cambium dicitur: & quia homo vnus indiget pecunijs in loco, in quo non habet eas, habet tamen vbi non indiget, ob id commutat pecunias illius loci, cum pecunijs huius, in quo indiget.

Tertia pars est, *negotiatoria*: non enim quæuis talis mutatio etiam pecuniæ pro pecunia, dicitur cambium, vt in præsentem consideratur; sed quæ est cum spe alicuius lucri, ob id dicitur negotiatoria.

Huius cambij quatuor sunt species.

Prima dicitur cambium per minutum, cum quis dat pecunias maiores pro minoribus, vel è contrà, cum lucrò aliquo.

Secunda dicitur cambium siccum, cum campfor dat alteri pecunias, vt in eodem loco post aliquod tempus reddat illas cum scœnore, prout valuerint in loco aliquo distanti, tempore solutionis; ver. gra, dicit campfor; do tibi Romæ centum aureos, vt post quatuor menses des mihi centum aureos, prout valuerint in nundinis Mediolani: dicitur autem siccum, quia verè hic non soluit Mediolani, sed Romæ, vbi accepit.

Tertia dicitur cambium per literas, cum quis dat campfori pecunias, vt eas accipiat in alio loco, in quo verè accipit, prout in tali loco, statuo tempore valent. Campfor autem dat

suas

suas literas, ut per eas accipiat in illo loco pecunias ab eo, qui campforis est socius.

Quarta dicitur cambium reale; cum è contra, campfor dat pecunias alteri, ut alio in loco ei restituantur; puta, dat Romæ, ut reddantur suo socio in Hispania, vel Sicilia, & ob hoc accipit lucrum aliquod, & sic habes quatuor species.

De iustitia cambij ad minutum.

CAPVT LI.

Pecunia, seu numisma dupliciter potest considerari, vno modo, ratione materiæ, ut ex auro, argento, aut alio metallo est; altero modo, ratione formæ, ut numisma & pretium est.

Juxta hanc duplicem considerationem, duplex est valor pecuniæ.

Vnus ipsius, ratione materiæ: nam pecunia aurea, aurum est, & argentea, argentum est, & habet valorem, quem habet pars vna auri vel argenti, ac si non esset pecunia, & talis valor dicitur naturalis.

Alter valor est ipsius, ratione formæ, & hic est, quem habet quilibet pecunia, ut talis pecunia est: nam seu um valet decem milios, in huius quinquaginta quatuor, &c. & talis valor dicitur legalis.

Rursus, pecuniæ, ut pecunia est, & ratione formæ, duo sunt usus.

Vnus est, ut sit rerum pretium: ipsa enim non emitur, sed est, qua alia emuntur & contractantur.

Alter usus est permutatio: nam pecuniæ pecunijs permuntur, maiores minoribus, & è contra. Potest igitur ex dictis pecunia tripliciter considerari.

Vno modo, ratione materiæ suæ, ut metallum quoddam est.

Altero modo, ratione formæ, ut pretium est, quo emuntur res. Tertio modo, quantum ad permutationes. In hac autem tertia consideratione consistit cambium.

Juxta hæc tria dico aliquot puncta.

Primum est, si pecunia consideratur modo primo, ratione materiæ, potest locari, commutari, emi, vendi, & pati alios

con-

contractus, quos patiuntur res, aut ipsa pateretur, si non haberet sigillum numismaticis. Hoc dictum est secundum communem doctorum sententiam, & ratio huius aperta est: nam quævis fiat pecunia, non, ob id suam perdit naturam, quam habet ex materia; semper enim manet aurum, argentum, vel aliud metallum. Hinc duo sequuntur: alterum est quod potest homo locare vel commodare suam pecuniam, & pro tali contractu ultra pecuniam exigere aliquid iustum pretium, licet exigatur ab alijs rebus quæ locantur vel commodantur. v.g. indiget aliquis pecunia aurea, ad coquendum carnes in ea, quæ medicinalis est, aut ad aliquam ostentationem faciendam, aut ad alios vsus, potest alius locare vel commodare ei ad certum tempus, & pretium locationis vel commodationis iustitiam exigere. Alterum est, quod licet hoc modo vendere pecuniam, de excedere valorem legalem, puta, si scutum valeat decem, potest vendi supra decem, quia hic non consideratur, ut pecunia, vel pretium, sed ut res, ac si aurum esset. vnde multis causis potest excedi valor legalis.

Primo, quia illa materia talis pecuniæ purior est & nobilior, nam aurum auro & argentum argento nobilior est.

Secundo, quia talis materia rara est, nec inuenitur.

Tertio, quia habet qualitatem pecuniæ æstimabilem, puta, quia forsitan est antiqua aut pulchra.

Quarto, quia vendenti chara est, nec ipse alienare vult, nisi ob importunitatem emptoris: hæc enim solent augere pretia rerum. Similiter etiam alijs de causis: non enim pecunia vitimur semper, ut pretio, sed aliquando, ut re aliqua.

Sit secundum punctum, si pecunia consideretur, ut est pretium, quantum ad secundum eius vsus, non licet pretium seu valorem legalem excedere: v.g. non licet emere rem, augendo valorem legalem iuliorum aut pecuniarum, quibus committitur; id enim facere peccatum est ex suo genere mortale & obligans ad restitutionem, & in hoc omnes conveniunt.

Tertium punctum sit, quantum ad permutationes, licet pecunias pecunijs permutare, maiores minoribus, & e contra, & ultra valorem legalem aliquid exigere pro tali permutatione, & hoc est cambium minutum, quod fere omnes doctores approbant; tamen ut licite fiat, debent tres observari conditiones. Prima, ne sit aliqua in campo falsitas, puta, quia radice pecunias, aut unam pro altera dat, aut auricalem pro auro, aut minorem pro maiori.

Secun-

Secundo, ne sit fraus; pura, ne decipiat tractantes in valore monetæ: si enim ei constat monetam plus valere, debet veritatem aperire.

Tertio, ut sit iustum pretium. Iustum autem pretium cognoscitur per regulas superius traditas de censibus; nempe lege, cum lege determinatum est, aut communi ipsius loci consuetudine; aut saltem proportionem loci ad eum, in quo lex est, vel consuetudo, habita consideratione copiarum, aut inopiae talium pecuniarum. His servatis, cambium licet, & non solum hoc licet campforibus, qui talem artem ex officio exercent, sed etiam alijs, qui non ex officio habent, ut dicit, Sor. lib. 7. de iust. quest. 2. art. unico. Unde, cum aliquis regnum aliquod ingreditur, in quo pecuniæ alterius regni non sunt in usu, & vult cum aliquo illius regni murare, licet huic minus dare, quam sit valor legalis pecuniarum, dummodo iustum sit pretium.

Sit quartum punctum ex Sor. loco citato proxime, cum in emptionibus intersit aliqua permutatio absque dolo & fraude, licet valorem excedere legalem; v. g. emit quis domum valentem quingentos aureos, singulos iuliorum undecim, & paratus est reddere pretium hoc in argento, si tamen velit venditor sibi in auro reddi, potest emptor offerre minus, puta quadringentos nonaginta: hoc autem non fit solius emptionis ratione, nam sic pretium minui vel augeri non potest, sed ratione coniunctæ permutationis.

Ex his colligitur huius cambij iustitia.

De iustitia cambij sicci,

CAPVT LII.

Cambium, quod vocant siccum, quatuor modis solet fieri.

Primus, cum quis indigens pecunijs, petit à campfore dari sibi tot libras, aut tota scuta; campfor autem dat hac lege, ut soluat intra certum tempus iuxta valorem, quo tempore a quo signato scuta valuerint Venetijs, vel Florentiæ, vel in alio simili loco in nundinis. Hoc dicitur cambium siccum, quia non est pecuniarum transmissio, cum in eodem loco accipiatur, & reddantur. Dicitur simul casuale, quia potest accideret, scuta valitura plus, & valitura minus. Et iustitia

huius

huius contractus est consideranda ex æqualitate periculi, ut non sit plus certum, an valitura sit plus vel minus: cum enim ex vna parte est maior certitudo, apparet iniustitia, quia tunc vna pars magis oneratur, quam altera. At vero, ut modo in vsu est, est vsura palliata, & aperta iniustitia: nunciat enim dar campfor, nisi habeat certam probabilitatem plus valituram: & tunc perinde est, ac mutuum, ut cum lucro reddatur capitale, & illo pallio cooperitur. Siquidem hoc est peccatum mortale ex genere suo, ad restitutionem obligans.

Altero modo fit hoc cambij genus: Indiget quidem Petrus pecunijs, & petit sibi à campfore dari centum; campfor autem non aliter dat, nisi accipiat ea pro Sicilia, vel alio loco delicti soluenda, & petit ab eo pretium, quo solet illa dare pro locis similibus, Petrus autem accipit, & tamen verè non parat reddere pecunias in illis locis, immo nec forsitan habet campfor illic respondentes, sed in eodem loco sunt reddenda pecunia: istud cambium est vsurarium, & ab omnibus doctoribus reprobatur, & peccat mortaliter campfor, & ad restitutionem obligatur, cum sit fictus contractus. Caietan. opus. de camb. cap. primo, & Nauarr. super cap. fin. de vsur. num. 2. dicit: vnum; quòd si campfor paratus erat pro illo loco dare alteri pecunias illas, & Petrus sibi dari petijt, tunc, ratione lucris factantis, potest ab eo exigere tale pretium. Sed aduertit debet, quòd aliquando minus exigi debet à Petro istas petente, quia minus est periculum, cum maneat in eodem loco, & det fidei iussores, qui non solent esse cum alijs. Aliquando per hoc falluntur campfores, qui aliquando solent exigere à Principibus & Dominis cambiorum pretia, cum domini ipsorum pecunias ad aliquos vsus auferunt ab eis, unde negotian impediuntur.

Tertia species cambij est composita ex cambio, & recambio sicco; verbi gratia, campfor dat Petro centum soluenda Venetijs, vbi reuera campfor nullos habet correspondentes, nec Petrus illic habet unde soluat, & petit campfor lucrum ex hoc cambio. Rursus, tempore solutionis, fingit Petrus se non habere Venetijs, & illa centum cum lucro iterum cambij cum lucro Romam, vbi accipit centum, & Romæ soluit totum, puta pretium cum lucro cambij, & etiam recambij. Hoc cambio una duas habet coniunctas vsuras, vnam in cambio, quia factum est, nullamque habet transmissionem pecuniæ; alteram in re-

cambio;

cambio; estq; mutuū virtuale, perinde ac si mutuaret centū, ut redderentur ei centum cum toto illo lucro.

Quarta species cambij est, quæ solet esse Romæ in usu, & dicitur cambium aulicorum: dat enim campfor pecunias quas habet pro mercatoribus aulicis alijs locis soluendas; & aliquando vere alibi soluntur, & tunc est verum cambium; aliquando non, sed fingitur locus solutionis distans, ut pretium exigatur, & tunc aperte est fictum & fictum, nec excusatur nisi ob causam dictam lucri cessantis. Vt rouis tamen modo fiat, solent duo fieri.

Alterum est, petunt ab aulicis non solum pretium, quod à mercatoribus exigunt, sed supra hoc aliquando quinque, aliquando octo, plus, minusve pro singulis centum, hoc autem iniustum videtur: nam ratio, propter quam plus exigunt ab aulicis est, quia dicunt mercatores certius soluere, minusq; esse periculum illis dare, quam aulicis: sed hoc non valet; petunt enim fideiussores ab aulicis, quos non habent à mercatoribus: unde ex hac parte periculum istud aufertur. Rursus non est tantum periculum, ut tot pecuniæ exigi debeant,

Alterum solet fieri: datur certum tempus, maius, aut minus, pro locorum distantia, in qua solutio fieri debet, hoc autem tempus est post illud, in quo soluere teneretur. Datur autem hoc aliud tempus ad certificandum, id est, qui pecunias accepit hoc tempore, debet campfori dare cautionem & certitudinem, qua ostendat se in illo loco, tempore statuto soluisse. Quod si non dat tali tempore dictam certitudinem, quamuis vere soluerit, fit recambium statim illarum pecuniarum ad locum primi campforis. Hoc autem, quamuis aliquo modo possit tolerari, quia adest modum cuiusdam pœnæ, tamen cum sine culpa accipientis pecunias fit, ut non possit certificare, quia aliquando in via deficiunt literarum portitores, non potest iuste recambium exigi, immò licet statuto tempore non soluat, si id absque culpa sua fit, vel quia non potuit, vel quia non habuit, & in hoc multæ iniustitiæ in cambijs inveniuntur.

De quibusdam notabilibus pro alijs cambiorum speciebus.

CAPVT LIII.

Antequam cambium per literas, & reale explicemus, oportet aliqua fundamenta notare vilia pro plocum iustitiæ intellectione & discussione. Primum est, pretium pecuniæ tribus de causis præcipuè variari posse

Prima est, ratione legis: nam potest Princeps valorẽ vnius pecuniæ augere & minuere: & hinc est, quòd in diuersis regionibus eadem pecunia potest diuersos habere valores, quare vna pretium est auctum lege illius regionis, in altera est diminutum.

Alterca causa est, ipse valor materiæ, quia pecunia eadem est in metallis diuersi valoris; vnde ducatus Castellæ minoris est, quàm Lusitanæ, quia ille est auri impurius, hic auri purioris.

Potest etiam variari ratione maioris aut minoris pòderis, & attẽde, quòd hæc variatio deseruit ad commutationes, quamuis ducatus Castellæ vnum habeat pretium, quantum ad emptiones, tamen quantum ad commutationes potest varia habere pretia iuxta dictam considerationem.

Tertia causa est, copia, aut inopia pecuniarum. Hæc autem causa, etiam variat valorẽ, quantum ad commutationes, atq; ex hac causa prouenit, vt apud forum mercatorum & campforum, pecuniæ modo plus, modo minus valeant: nam licet aliquando commutatur & cambiatur tredecim, aliquando duodecim iulijs, pro copia vel inopia pecuniarum. Nota tamen, esse duas fraudes in hoc augmento pecuniarum in foris.

Prima est, monopolium. Aliquando enim solent duo vel tres mercatores conuenire, & ante tempus, vel in principio nundinarum, à campforibus accipere omnes pecunias solendas in alijs locis: cum autem alij veniunt, non inueniunt pecunias, nisi apud illos, & sic valor augetur; sed ista est aperta fraus; nec illi licite possunt tunc augere pretium.

Alterca fraus est, quia simulant campfores, se non habere pecuniam, cum tamen habeant, & ex hac ficta inopia crescit pretium; tamen hoc etiam iniustum est: debet ergo ex licita causa

augeri

augeri pretium, puta, cum inopia prouenit: quia verè est paucitas pecuniæ, aut propter bella, aut alia impedimèta, aut propter multitudinem emptorum, aut petentium cambìa.

Aduertendum est secundo, multum interesse inter cambiũ, & mutuum: numquam enim licet mutuare pecunias in loco, vbi minus valent, vt dentur in loco, vbi plus valent: hoc enim est vsura, cum vltra capitale mutuum in lucro accipiatur. At verò cambire licet pecunias minus valentes in loco vno, pro pecunijs plus valentibus in alio loco, vt tenet Nauar. super cap. fin. de vsur. num. 61. non enim cambium mutuum est, sed permutatio quadam, in qua, ob causas post dicendas, licitum est plus pro minori pretio accipere.

Aduertendum est tertio, pretium in cambijs non aliter commodè mensurari posse, nisi per tres regulas præcedentes; aut per legem, vbi lex taxauit pretia cambiorum, aut per vniuersalem consuetudinem, vbi lex non viget; aut arbitrio boni hominis, vbi illa duo non sunt, habita consideratione ad loca, vbi lex vel consuetudo viget. Hoc autem pretium datur cambiõ, ob transmissionem seu transportationem, quam ex loco in locum facit, ipsarum pecuniarum, in cambio præsertim per literas: in reali verò, quia dat pecunias præsentibus: & in vtroq; propter periculum expensas, labores, & obligationem, qua paratus est dare & accipere.

Aduertendum est quarto generaliter in hoc, & in sequenti cambio vnum multum necessarium: nempe, non licere cambiõ accipere maius pretium, pro maiori temporis mora, nec accipere danti cambiõ minus dare pretium pro maiori mora solutionis: quocumque enim pretium variatur pure, ratione dilationis temporis, tunc est vsura virtualis. Dico autem pure, quia (vt dicemus postea) cum intercedit lucrum cessans in mora maiori, aliquid ratione huius exigi potest; sed non ratione solius temporis, per hanc regulam, inferius iniuriam aliquot apparebunt. Nec est simile de loco & tempore: licet enim pro loco distantiori augere pretium, quia in loco danti per se maius periculum, maiorque labor, & expensæ sunt; non tamen in tempore, per se loquendo, nisi ratione damni, vel lucri cessantis. His prænotatis, accedamus ad species cambiõ per literas.

De cambio per literas.

CAPVT LIV.

Hoc cambium quinque modis fit, quamuis alij duorum tantum meminerint. Vnde possumus ipsum in quinque diuidere species.

Prima est; cum Petrus dat campfori centum Romæ, vt det sibi Venetijs nonaginta quinque, alijs quinque acceptis pro pretio ipsius campforis, qui literas suas dat Petro pro Venetijs. In hoc autem cambio attenditur valor idem pecuniarum: vt, dat Petrus centum aureos, singulos valoris vndecim Iuliorum, & recipit nonaginta quinque eiusdem valoris Venetijs; hoc cambium omnes probant esse licitum; & iustum, nec aliam habet iniustitiam, nisi cum iniustum exigitur pretium; hoc tamen existente iusto, nullus est scrupulus de cobibendus.

Altera species est, cum quis dat campfori pecunias, vbi minus valent, vt recipiat illas, vbi magis valent: verbi gratia, dat testones centum Mediolani, vbi minus valent, vt recipiat Venetijs, vbi magis valent, soluto iusto pretio campfori: hoc cambium iustum est, secundum Syluest. vsura 4. §. 8. & Tabien. vsura 62. In cuius gratiam aduerte pecunias absentes minus valent, quam præsentis, quando vtræq; eiusdem sunt pretij, vt aureus vndecim Iuliorum Venetis minus valet Romæ, quam aureus eiusdem vndecim Iuliorum existens Romæ. Tanto autem minus valet, quanto est distantia maior vel minor: præsertim si accedat periculum. Ex hoc sequitur, quod, qui dat Romæ pecunias campforibus, possit recipere alio in loco alias magis valentes: nam istæ minus valent in illo loco, vbi ille suas pecunias dat campfori. Tamen debet esse excessus valoris proportionatus distantie, vt tanto plus valeant in loco vbi recipiendæ sunt, quanto minus valent in illo loco vbi absentes præsentium, contractus est iniustus.

Tertia species cambij est, cum e contra Petrus dat campfori Romæ pecunias, vbi plus valent, vt recipiat eas vbi minus valent, & soluit pretium campfori. Hoc cambium distinguit Sylu. loco allegato: nam si campfor reddit in eadem specie pecunias: vt, si accepit aureos, reddit aureos, licitum est; si vero

reddat valorem, iniustum est, quia non seruatur æqualitas: nõ enim potest dicere campfor pecunias absentes minus valere; nam hoc est contra ipsum; nõ ipse recipit præsentis magis valentes, pro absentibus quæ adhuc minus valent: vnde iniustitia est in cambio hoc ex parte campforis, nisi velit ex pretio auferre illum valorem.

Quarta species dicitur cambium ad incertam solutionem, cum quis dat campfori pecunias Romæ, vt accipiat eas alibi ad pretium fori tunc occurrens, quod modò crescit, modò decrescit. At hoc Soto lib. 7. q. 5. art. 4. distinguit: cum est æquale periculum augmenti & decrementi, iustum est; cum verò probabilius est plus valituras pecunias, iniustum est ex parte dantis, non ex parte campforis. Hoc intellige, quando excessus est tantus, vt vincat id quod minus valet, ratione absentia, vt supra diximus.

Quinta species dicitur cambium ad creditum; fit hoc modo: mercator nolens apud se habere pecunias, dat campfori, & campfor dat literas, quibus se obligat pro illo dare tot pecunias, cui ipse per suum chirographum dederit, mercator emit merces suas, & soluit, dando chirographa pro cambio, venditores recurrunt ad cambium, & aliquando pecuniam numeratam accipiunt, aliquando aliqua chirographa pro alijs cambijs; in hoc non videtur iniustitia. Solent autem duo hic fieri, vnum est, campfor solet maius creditum facere mercatori, quam accipiat pecunias; v. g. accipit mille, & facit creditum duorum millium, quia campfores multum volunt apud se habere pecunias præsentis, hoc approbat Soto lib. 7. q. 4. art. vni. & bene dicit: nam hoc creditum est quædam fideiussio, quam campfor facit per mercatorem; vnde sicut nulla pecunia recepta potest eam facere, ita minori recepta potest pro maiori summa fideiubere.

Alterum est: solent campfores exigere certum pretium ab illis, qui ferunt chirographa, cum accipiant solutionem in numerato, & hoc iniustum est, vt bene dicit Nauarr. cap. fin. de vsur. num. 38. nam debitor non potest exigere à creditore pretium pro solutione; campfor autem debitor est, illi verò creditores: vnde pretium hoc debent soluere ipsi mercatores campforibus, pro custodia suarum pecuniarum. Et hic apparet iniustitia illorum mercatorum, qui nolunt dare campfori suas pecunias, nisi hac lege, vt pretium exigant ab illis, qui deserunt ipsorum chirographa, & aliter nolunt dare; sed minatur

se alteri campfori daturus, tales tenentur ad restitutionem campforibus; campfores autem illis, a quibus acceperunt. Licet hoc in casu, quod mercatores emerent tanto charius, supra iustum pretium, merces a venditoribus, quanto isti magis deberent soluere pro receptione pecuniarum per chirographa: non tamen credo ita fieri. Vnum notandum est circa istas leges. Soro enim negat intra vnum regnum posse fieri ista causa, sed Nauar. cap. de vsur. num. 28. merito affirmat, dum pretium decrescat proportionaliter, quia minus debet esse, quam pro locis distantioribus.

De cambio reali.

CAPVT LV.

Cambium reale vocamus in presenti, cum campfor dat mercatori pecunias in alio loco soluendas, alio quo pretio recepto pro commutatione. Hoc autem cambium ex se licitum est; pretium tamen debet esse iustum, vt superius diximus, & nihil plus debet exigi, ratione solius morae temporis: eum enim campfor plus exigit, quia solutio in maius prolongatur tempus, vsura est. Hinc fit, vt cum solutiones essent ex mundanis in nundinas, (nam mercatores non semper soluent in nundinis, pro quibus acceperunt soluendas pecunias) non potest campfor ratione talis dilationis exigere maius pretium, nisi quia cessat ei lucrum, quod alias esset percepimus, tunc ratione lucri potest exigere; sed non, si pecunia futura erit otiosa. Potest etiam licite exigere valorem pecuniarum, secundum quem pecuniae commodantur in foro occurrent, cum eas dat: nam aliquando plus, aliquando minus valent, vt diximus. Reliqua vero de diuerso valore pecuniarum ratione diuersorum locorum, iudicari possunt per ea, quae diximus in capite praecedenti. Non nego multa posse in hac materia tractari, sed per ea, quae dicta sunt, poterit quis, adhibita diligentia, ipsa discutere.

Haec, quae de cambijs & censibus dicta sunt, intelligi debent ex natura rei, saluis extrauagantibus Pij quinti, quae varia prescribunt de his materijs,

De octavo praecepto: Non falsum testimonium
dices.

CAPVT LVII.

In hoc praecepto prohibetur iniustitia, quae fit verbo contra proximum. Quae quidem duplex est.

Vna extra iudicium, vt quae fit in detractioe, murmuratione, irrisione, & alijs huiusmodi.

Altera, in iudicio, quae fit in falso testimonio. Vtraque prohibetur, tamen quia est grauior illa, quae fit in iudicio, ob id ipsa exprimitur in hoc praecepto. Nos autem generalius tractabimus, discutientes iniustitias, non solum quae ex testibus; sed quae ex alijs personis in iudicio conuenientibus committi solent. Hae autem personae sunt praecipue septem, Iudex, accusator, reus, testis, aduocatus, notarius, procurator. Incipiendum ergo est a Iudicibus.

De Iudicis iniustitia.

VT Iudex sit verus & rectus, quatuor debet habere, potestatem, veritatem, formam, vim executionis.

Potestas quadruplex est; vna ordinaria, altera delegata, quae ex commissione ordinarij est; tertia arbitraria, quam quis habet ex eo, quod alij ipsum in iudicem super aliquo eligunt; & quarta est accessoria, quam quis habet super aliquem, qui, licet sit alterius potestatis, tamen delictum commisit in loco iurisdictionis alterius. Vnde Romanus castigatur Neapoli, si illic commisit delictum, vt habetur. ff. de accusat. l. alterius. Vna saltem harum necessaria est ad iudicium. Vnde, cum quis se iudicem constituit absq; vlla potestate legitima, vel, si habet potestatem, non tamen ad illud tale iudicium, vel si habet, non tamen ad talem iudicandam personam, mortaliter peccat ex genere suo, & obligatur ad restitutionem damni, si quod interuenit. Hinc fit, vt saecularis iudex peccet contra iustitiam iudicando, siue in ciuili, siue in criminali clericum; non enim potest clericus conueniri coram saeculari, quamuis potest clericus saecularem coram saeculari conuenire iudice, ipse tamen conueniri non potest, nisi in his casibus, de quibus vide Sylu. verb. Iudex. s.

Primus est, cum degradatus est, & remissus brachio saeculari.

Secundus, cum Episcopus dat facultatem, & hoc in causa ciuili tantum, non in criminali: Tertius est, cum ipse clericus conuenit facularem coram iudice faculari, & ipse reus conuenit clericum, tunc, ratione reconuentionis potest iudicari a faculari, sed hoc in causa tantum ciuili: nam in criminali reconuentioni non potest coram iudice faculari. Habetur ista reconuentionio cap. 1. & 2. de mutu petitorio.

Veritas etiam iudici inesse debet. Est autem duplex veritas.

Altera, cum, quod dicitur, ita est in re, sicut dicitur.

Altera, cum, quod dicitur, ita dicitur, sicut existimatur esse, quamuis aliquando in re ita non sit. Iudex non semper tenetur iudicare priorem veritatem, quia aliquando est occulta, & indagari non potest; ista diuino iudicio reseruat: tamen debet sequi posteriorem, vt iudicet, quod verum esse cognoscit, & existimat.

Rursus, dupliciter cognoscit Iudex, vno modo, vt persona priuata, puta, quod ipse perse cognoscit extra iudicium, quod cognosceret, quamuis Iudex non esset.

Altero modo, vt Iudex cum cognoscit rem, vt in iudicio probatur. Aliquando contingit istas duas scientias esse discordes; nam, vt priuata persona, scit verum vel falsum esse aliquid, per iudicium vero aliter cognoscit, vt, cognoscit esse illum quem innocentem; tamen in iudicio probatur nocens: & tamen, cum ciuilis causa est, tunc fere omnes conueniunt, iudicem debere sequi scientiam iudicis, & ferre sententiam iuxta allegata & probata: tamen cum causa criminalis est, & maxime mortis, quamuis in hoc opiniones existant, tamen communior & verior est, quod licite potest sequi iudicis sententiam, & damnare innocentem, cum tamen probetur in iudicio sufficienter nocens. Ita tenet S. Thom. 2. 2. qu. 67. art. 2. & Alex. 3. p. q. 40. mem. 6. art. 2. & Bart. in l. illicitas. ff. de off. p. r. l. d. i. nec tenetur relinquere officium, aut remittere ad alium iudicem, vt alij dicunt, quamuis teneatur diligentissime inquirere & examinare testes, vt, si forsan possit aliquem in eis defectum inuenire: similiter etiam late sententiae appellacionem concedere. Aliqui tenent, cum est supremus Iudex, vt Rex, Princeps, aut ij, quorum dicta habent in suo territorio vim legis, teneri secundum conscientiam facere in causa innocentis, ita tenent Bart. & Bald. l. 1. Cod. vt quae defuit. Adria. & Felin. cap. cum in causis de sent. & re iud. Innocent. autem

dicit

deit id posse Papam de plenitudine potestatis, c. cum inter, de
elect.

Formam etiam iuris debet iudex seruare.

Primo quidem in ferenda sententia, vt secundum iura & leges iudicet; quod si ignorat, vel dubitat, tenetur assessore conuocare; in hoc autem deficere, graue peccatum est, obligans ad restitutionem.

Secundo, in quantitate, & qualitate sententiæ; nam non debet supra pœnam iuris castigare.

Tertio, in præparatorijs; debet enim terminos iuris concedere, nec ad libitum negare, aut extendere, & alia in hoc secundum leges statuta exequi.

Denique non debet sine accusatore vllum damnare, nec in iudicium vllum conuocare, nisi in quibusdam casibus.

Primus est, cum crimen est notorium, & manifestum: nam vt habetur extr. de accusatio. euidentia patrati criminis clamore accusantis non indiget.

Secundus, cum est confessio propria ipsius delinquentis, spontanea, & iudicialis. Dico iudicalem, quia, cum quis extra iudicium se crimen commississe dicit, non valet confessio, vt sententia feratur, sed est indicium ad inquirendum, nisi postea in iudicio ratificet. Dico spontanea, quia, quæ fit per torturam & timorem, non sufficit, nisi postea reus ratificet.

Tertius, cum est infamia, aut semiplena probatio: tunc enim iudex procedere potest, non quidem ad sententiam ferendam, sed inquirendum, donec maior probatio ad sententiam ferendam inueniatur.

Quarto, cum est iudicialis denunciatio, puta, cum, quis denunciat aliquem iudicialiter, tunc iudex procedere potest, non quidem ad sententiam ferendam, sed ad inquirendum,

Quinto, cum præcessit fraterna denunciatio apud Prælatum & vocatus à Prælato, est rebellis, & non vult corrigi, tunc iudex prælatus, absque alio accusatore, potest etiam vsq; ad sententiam procedere.

Debet etiam iudici inesse vis executionis, vt legis pœnas exequatur, vel iuris sententiam proferat.

In cuius gratiam aduerte, Iudicem esse duplicem.

Alterum supremum, qui alteri non subditur in iudicando, alterum inferiorem.

In primis, inferior tenetur sententiam iuris exequi, non

solum, cum accusator ab accusando non desistit, sed quamuis desistat: verbi gratia, est aliquis accusatus homicidii contra iudicem, & conuictus, postea accusator remittit, iudex inferior debet sententiam ferre, quamuis possit appellationem concedere: supremus verò, cum accusator non remittit, nullo modo potest, nisi rarissime, in casu, quo reus est nimis reipublice vtilis, & magnum detrimentum, vel scandalum in reipublica sit ex illius morte, tunc Princeps potest compellere accusatorem, vt alia satisfactione sit contentus.

Ita tenet Soto lib. 5. q. 4. art. 4. Cum verò accusator non remittit, tunc iudex dispensare potest in pena iuris, & condonare, si vult: quamuis in hoc sit attendendum, an Princeps debeat considerare bonum publicum. Si talia peccata sint contra bonum publicum, non debet condonare, cum persona est nimis noxia, & mala reipublicæ; aut cum aliquod detrimentum reipublicæ sequitur.

De Accusatore.

CAPVT LVII.

Secunda persona in iudicio est accusator: in cuius gratiam nota, multum interesse inter denunciare iudicem, & accusare. Denunciat enim, qui apud iudicem, alicuius criminum defectum, vt ad emendationem propter bonum publicum procedat, nec, qui denunciat, tenetur tale crimen rebus comprobare. Accusat verò, qui crimen, vindictæ causa, in bonum etiam publicum defert: & hic tenetur rebus probare. Est etiam aliud denunciare fraternè, quod etiam Prælatos fit: quæ denunciatio bonum particulare denunciati respicit.

Aduerte igitur, peccata triplici se habere differentia.

Quædam sunt contra bonum commune primo & per se, vt coniuratio in Principem, in Reipublicæ perditionem, falsificatio monetarum, hæresis, & alia huiusmodi.

Quædam sunt in damnum alicuius priuatæ personæ, vt homicidium, furtum priuatum, quod non in vijs regis fit; hoc enim non est contra commune bonum, sicut est peccatum falsificationum.

Quædam etiam sunt peccata contra ipsummet committentem

solum

illam, vt fornicatio, concubinitus, & alia huiusmodi: qui e-
 nim talia committunt, sibi potius nocent.

Rursus, hæc dupliciter se habent, quædam iam sunt facta,
 quæ transferunt, & emendata sunt, quædam sunt in fieri, aut
 in procinctu vt fiant, nondum tamen facta.

His suppositis, sunt obseruandæ multum hæc quatuor con-
 ditiones.

Prima, cum iam peccata sunt facta, nec actu iam manent,
 nullus accusare, nec denunciare tenetur; quamuis fuerint con-
 tra bonum publicum: verbi gratia, cognouisti aliquem, qui
 fuit falsificator monetarum, aut parauit insidias Regi, iam
 tamen desistit omnino a tali peccato, non teneris denunciare,
 vel accusare.

Similiter cognouisti aliquem in hæresim prolapsum, tamen
 seis illum omnino penituisse, & ab errore discessisse; non ten-
 eris denunciare, vel accusare; nisi solum, cum à Iudice inter-
 rogatus fueris iuridice, puta, cum criminis illius est infamia,
 vel probatio aliqua apud iudicem, tunc vt testis verum respon-
 dere; quamuis, si omnino est occultum, nec hoc teneris dice-
 re; quia Iudex non iuridice procedit.

Secunda, cum crimen est contra bonum commune, & ad-
 huc in fieri, vel in procinctu vt fiat, teneris accusare, si potes;
 in minus, saltem denunciare: vt g. seis aliquos parare insidias
 Principi, vel monetam falsificare, vel esse hæreticos, vel quid
 simile contra bonum commune facere; debes per accusatio-
 nem, vel per denunciationem Iudici reuelare; tamen, saltem
 ante denunciationem, vel accusationem, est præmittenda fra-
 terna admonitio: vt admonetur talis, qui paratus est crimen
 perficere: quod si non acquieuerit admonitioni denunciandus,
 vel accusandus est.

Sunt tamen aliquot casus, in quibus non est opus præmit-
 tere admonitionem hanc.

Primus est, cum præsumitur incorrigibilis, & hoc est maxi-
 me in hæresi cum pertinacia, talis hæreticus est denunciandus,
 atque præuia admonitione.

Secundus est, cum non profutura speratur admonitio; tunc
 non est opus eam præmittere, quãuis debeat esse multum
 probabile, quod non admitteatur admonitio, alias esset terenda.

Tertius, cum timetur magnum damnum in admonitione:
 tam si timet sibi mortem inde prouenturam, vel damnum
 graue debet denunciare ante admonitionem.

Quartus

Quartus est, cum non est tempus; nam tam vigeat periculi, quod non dat tempus pro admonitione, tunc denunciare oportet, aut accusare.

Tertia conclusio: Cum peccatum est contra tertiam personam, si graue detrimentum illi obuenit, idem proterus, & eodem modo faciendum est. v. g. scis aliquem parare alicui mortis insidias, teneris admonere, & si admonitioni non est locus, vel quia non admittitur, vel quia alia praedicta occurrunt causa, denunciare debes iudici, non tamen illi tertio reuelare personam, nisi in communi, ut sibi caueat. Intelligit ista conuicia, quando sunt extra confessionem. Cum vero iam homicidium est factum, ad nihil teneris, nisi iuxta primam confessionem, cum aduocaris in iudicio iuridice interrogatus, ad veritatem dicendam.

Quarta conclusio: Cum peccata non vergunt in damnum publicum, vel alterius, tunc tenetur homo, iuxta praecipuum correctionis fraternae, corrigere, cum correctio profuerit operatur, aut denunciare Praelato, denunciarione fraterna. Et idem est faciendum, cum Praelati publice praecipunt, ut reuelentur concubinarij, fornicarij, vel alij criminosi huiusmodi: tenemur enim denunciare iudici praelato fraterna, non tamen criminibus omnino existentibus occultis, nisi aliquis saltem infamia praecedente.

Est autem hic notandum, clericos non posse accusare in causa mortis, nisi tantum iuridice denunciare, & praemissa protestatione, se non ob mortem denunciare, sed ob bonum, vel suum, vel alterius, vel commune. Est autem in accusatore necessitudo obseruanda iustitia in accusando.

Hae autem in his quatuor consistit.

Primo, ut seruet veritatem: veritas autem consistit, ut testemur, quae ipse interius iudicat ita esse: quando autem siue in causa civili, siue in criminali falsum imponit, mortaliter peccat, si res grauis est, & tenetur ad restitutionem de damno illato. Et attende, quod si a principio litis, se verum accusare putabat, postea, etiam post latam sententiam, comperit fuisse falsum, tenetur reddere ea, quae illi ex tali sententia obuenierunt. Tenetur etiam, si in media lite comperit aliter esse, quam putabat, desistere.

Secundo opus est, ut in vere accusando, & petendo quod iustum est, modum debitum seruet. Ex hac parte potest etiam peccare: ut, si, ad verum, & iustum probandum, vtatur falsis re-

stimo.

simonijs, inducendo alios ad iurandum quod nesciuerunt, tunc enim peccaret mortaliter, quamuis ad restitutionem non teneretur, si reuera ita, ut erat, intendebat.

Opus etiam est tertio, ut debitum obseruet intentionem, nam, quamuis iustum petat, & modo iusto, si tamen eo fine, ut alteri nocat, & non, ut res suas recuperet, vel in bonum publicum id faciat, peccat, & cum grauis est materia, mortaliter.

Adhuc quarto, opus est executione, ut litem, & accusationem propositam, & inceptam absoluat: desistere enim in media causa, aut remittere se in probationibus, ut vincitur, peccatum est, & illud vocatur preuaricatio, hoc est, tergiuersatio, ut habetur 2. q. 3. can. si quem poenituerit. Non tamen semper est peccatum, nisi cum accusatio est criminis alicuius, contra bonum publicum, aut contra tertiam personam, & adhuc, cum potest accusator probare: quando vero negotium est proprium, non est peccatum, diuimodo non utatur mendacijs, aut periurijs. Hec sunt, quae ad accusatorem spectant.

De Reo.

CAPVT LVIII.

IN reo id primum consideratur, puta, obligatio respondendi iudici, & manifestandi verum. Aduerte autem, ut reus obligetur veram respondere, debent tria concurrere.

Primo, ut interrogetur a proprio iudice: cum enim non est iudex habens auctoritatem in reum, non obligatur reus respondere.

Secundo, ut seruetur forma iuris: haec autem est, ut reus non interrogetur de crimine, de quo non praecessit infamia, ita, ut ille sit infamatus de tali crimine, aut praecesserint indicia, aut semiplena probatio, id est, testis omni exceptione maior. Quando autem est plena probatio, tunc non est dubium, quin debeat respondere verum: quando ista deficiunt, non teneretur respondere reus etiam proprio iudici, quamuis fulminetur ei sententia excommunicationis: nam occultu manifestari non debet in foro exteriori, & iudices male faciunt, qui, contra iuris formam, cogunt eos respondere.

Adhuc ista duo non sufficiunt, sed opus est tertio, ut ista

iuris forma sit prius probata in processu, & reo indicata, ut cognoscat se iuridice interrogari; alias in re graui non debet, nec tenetur reus respondere iudici. His igitur sententiis, debet reus respondere verum, quamuis inde cognoscat, tibi mortem prouenturam; & peccat mortaliter non respondendo, prout verum negando, tum ratione iuramenti, tum ratione mendacii, quod in iudicio profert; quod absque iuramento est mortale, cum res grauis est: cum vero leuis, potest esse veniale, quod uis neget Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2. Debent ergo Confessarii cogentes reos nimis aduertere, ne absoluant reos tales, qui iuris formam interrogati noluerunt respondere, nec eorum cogant ipsos verum manifestare, cum contra talem formam interrogantur.

Et in reo considerare oportet, quod non tenetur manifestare in iudicio omnia crimina, quae commisit, sed illa tantum, quae iuridice interrogari potest: nam si aliquorum infamia praecessit, vel indicia, aut semiplena probatio, non autem aliorum, non tenetur hoc manifestare, sed solum illa, de quibus iuridice interrogari potest. Et in hoc male faciunt Iudices, cum vno comperto crimine, omnia, etiam occultissima, inquirunt. Verum est, quod cum crimen vnum notum est, & indicium sufficiens alterius, iudices possunt inquirere etiam illud. Rursus, reus non tenetur reuelare complices suos, nisi cum illorum aliqua infamia praecessit, aut denique seruauerit illa tria praedicta: & in hoc etiam est abusus Iudicum, qui, iuris seruata forma, inquirunt etiam complices, cum nec potest talem manifestationem, licite possint contra eos procedere, sicut, nec contra rerum propria crimina manifestantem, si non iuridice fuit requisitus. Haec sunt, quae ad rei obligationem pertinent.

Adhuc in reo est secundum considerandum, puta, cum non iuridice interrogatur, quibus verbis debeat respondere, cum verè crimen commisit: & in primis, certum est, posse appellare, aut non respondere; tantum tota difficultas est, si, cum cogitur, possit respondere, non feci: & in primis certum est, non licere ei mendacium dicere; nam esset periurus, & mortaliter peccaret in quocumque casu, sed licet ei, vti aequiuocatione. Sor. lib. 3. de iust. q. 6. art. 2. tenet, quod non licet ei vilo modo dicere, non feci, quia hic nulla est aequiuocatio, sed esset mendacium; tamen Adrian. 4. in q. de sigil. dicit, talem reum posse dicere, non feci, & Caiet. opusc. 16. q. 5. dicit, posse respondere,

non habuisse complices, quamuis habuerit. Et ego pu-
 esse hoc probabilius: tamen cautus debet esse reus, ut talia ver-
 ba proferat iuxta suam intentionem in sensu vero, puta, ut in-
 tendat dicere, non feci, puta, in carcere, & non habui compli-
 ces, in alijs criminibus, vel aliquid simile, aliàs esset menda-
 cium; non autem illo modo; quia verba in tali casu, non sunt
 consideranda iuxta Iudicis intentionem, sed ipsius rei.

Tertium considerandum in reo, est obedientia, puta, ut non
 aduersus Iudicem, vel eius ministros insurgat, ut in carcere ma-
 neat. Tamen notare oportet, quod solum obligatur, nullam
 vlli custodi, aut personæ inferre; tamen, si citra vim talem po-
 test fugere à carcere, quamuis iuste sit comprehensus, licet ei,
 immò rumpere catenam, murum perforare, & portas frange-
 re; quamuis sciat alios comprehensos fugituros, & custodes
 damnnum passuros, non hoc tenetur ipse prouidere, sed ipsis
 ministris incumbit, præsertim cum res grauis est.

Attende tamen, quod tenetur postea restituere damna illa-
 ta, puta, ex ruptura catenarum, & portarum fractione. Hanc
 sententiam tenet Caiet. 2. 2. q. 69. Sor. lib. 5. q. 6. art. 4. Nauar. in
 summa cap. 25. num. 38. Addit autem Caiet. quod licet alijs, qui
 sunt extra carcerem iuuare ipsum, & ministrare instrumenta;
 hoc autem negant Soto, & Nauar. nam ista licent reo, quia
 sua res agitur: multa autem licent alicui propter se, quæ ipsi
 non liceret facere propter alium. Addunt tamen Doctores,
 quod liceret alijs consulere carcerato fugam; & hoc quidem
 verum est, dummodò non sint ipse personæ, quæ ad iudicium
 spectant, ut Iudex, custodes, & alij huiusmodi. Fugienti è car-
 cere leges imponunt grauem pœnam; tamen, ut Soto dicit,
 ad culpam non obligant.

De Teste.

CAPVT LIX.

Quarta in iudicio persona, est Testis: in quo tria confide-
 randa sunt; obligatio, repulsa, culpa.

Circa obligationem, puta, quando quis tenetur testi-
 moniū reddere, & testificari, sunt notandæ tres regulæ gene-
 res, per quas multi casus in particulari decidentur.

Prima est, quando crimen vergit in detrimentum publi-
 cum,

cum, aut in damnum iertia: personæ notabile, nec adhuc est emendatum, sed est in fieri; vel in proinctu ut fiat, tenetur homo inquisitus testimonium reddere, licet iuridicè non interrogetur; quia, ut superius diximus, in his casibus tenetur quisque accusare, vel denunciare; v.g. interrogatur aliquis de alicuius crimine, puta heresis, vel proditiõis, vel alterius contra bonum commune; vel de insidijs contra aliquem, si ille adhuc in crimine tali est, tenetur interrogatus dicere verum, & manifestare, licet occultum sit crimen.

Secunda regula: cum verò iam crimen est commissum, & transactum, seu etiam emendatum, nullus inquisitus tenetur respondere & manifestare, nisi iuridicè interrogatus; tamen iuridicè inquiratur, tenetur verum dicere: v.g. inquitur Petrus de homicidio Ioannis iam factõ, & cuius forsitan iam penituit ipsum Ioannem, si tamen infamatus est Ioannes, vel sunt alia, vnde iudex iuridicè inquirat Petrum, tenetur aperire quod scit.

Tertia regula: quando aliquis patitur detrimentum iniuste, si quis scit verum, & cognoscit illum iniuste pati, & in carcere detineri, siue in ciuili, siue in criminali causa, tenetur testimonium dare, etiam non inquisitus, seruatis tamen duabus conditionibus.

Prima, ut speret se profuturum, si cognoscit se nihil profuturum, non tenetur.

Secunda, ne inde aliquod notabile detrimentum incurret: cum enim timet probabiliter id sibi nociturum, quia aduersarius faciet ipsum occidere, vel afficiet aliquo malo graui, non tenetur.

His positis, quòd sit spes proficiendi, & quòd nullum timentur detrimentum, tenetur testificari; Soto lib. 5. de iust. qu. 7. art. 1. Nauarr. c. 18. num. 34. S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. Sylu. verò. testis, §. 8. Et attende, quòd obligatio in hoc casu nascitur ex charitate: vnde, qui non facit, peccat mortaliter contra charitatem, & non contra iustitiam; & consequenter non tenetur ad restitutionem de damno, quòd alteri prouenit ex ipsius tacitate.

At verò, qui iuridicè interrogatus, dissimulat verum, tenetur ad restitutionem de damno, si quòd ille alius incurret, quia peccat contra iustitiam. Et hæc regulæ obseruanda sunt circa obligationem restituti.

Circa repulsam, scias in testibus esse quasdam conditiones

secun-

secundum iura requisitas, ut ipsorum testimonia sint valida, quibus deficientibus, infirmum est ipsorum dictum; ut, quod non sit infidelis, excommunicatus, infamis, & alia huiusmodi. Hinc fit, ut, cum testes in aliqua causa offeruntur, procuratores contrariæ partis, soleant imponere defectus testibus, ut ipsorum dicta inuident, & hanc vocamus repulsam. Et quidem licitum est parti contrariæ, & ipsi procuratori aperire defectus, quamuis occultos, testium, quibus ipsorum testimonia infirmantur, ut, se defendant: sed sunt aliquot conditiones obseruandæ.

Vna est, ut adsit veritas: nam imponere falsa crimina, & defectus, graue peccatum est.

Rursus, ut solum illi defectus manifestentur, qui faciunt ad inuolidandū testimoniū, & non alia crimina, quāuis vera sint.

Tertia est, ut non obueniatur maius multo detrimentum testi ex tali manifestatione, quā ipsi parti: nam aliquando erit graue crimen, ob quod grauius punietur testis. Dico multo maius, quia licet maius detrimentū obueniatur testi, dummodo non sit multo maius, quā quod obuinit parti, licitum est manifestare in sui defensionem, & hoc intelligo cum est iniusta causa; nam alias, cum quis iuste accusatur, puto, non licere occulta crimina testium aperire, ex quibus ipsis detrimentum obuinit, maxime, cum iudicē inquisiti sunt, nec ipsi se sponte ad testificandum obtulerunt.

Circa culpam, aduerte, quod testis tenetur verè testificari, id est, quod ipse existimat verū; nec debet dubium affirmare, ut certum. Dicere autem mendacium, peccatum est mortale ex genere suo, propter periurium, quod illic committitur, & hoc prohibetur in isto præcepto; *Non dices falsum testimonium*. Obligatur etiam ad restitutionem damni illati, ob tale mendaciū. Aduerte autem, quod si quis forte, cum testificatus est, dixit aliquid, quia ira esse putabat, tamen postea intellexit, & commisit ira non esse, tenetur, si absque detrimento suo potest, & se profuturum sperat, coram iudice iterum comparere, & dicere quod scit, dummodo sit certus de eo: quod si iam lata sententia, & se nihil profuturum sperat, saltem dicat ipsi parti cuius fauorem testificatus est, ut ipsa verum cognoscens restituat: nec ad ampliùs talis testis tenetur. Quod si falsò testificatus est, tenetur reiterare, si alter est in periculo corporis, vel mortis, vel infamiæ, quamuis ipsi testi mors obueniat.

Sunt autem hic duo notanda.

Vnum est, cum testis accipit pecunias, vt falsum testimonium dicat, quamuis teneatur restituere damnum illatum alteri, tamen non tenetur restituere pecunias, quas accepit, vt falsum diceret.

Alterum est, si illas accepit, vt verum diceret, tenetur restituere eas domino, quia sine pecunia tenetur veritatem dicere. Hæc sunt, quæ circa testem considerare oportet in præsentia.

De Aduocato.

CAPVT LX.

IN Aduocato, consideranda est obligatio: tenetur enim patrocinari, quamuis gratis, in pauperum causa. Obligatur autem sub mortali in illo casu, in quo aliquis sub mortali tenetur elemosynam facere; qui casus est, cum est grauis, aut extrema necessitas: hæc autem est, quando pauper graue detrimentum patitur, & non est, aut difficile inuenietur aliquis, qui ipsi patrocinetur.

In Aduocato, secundò considerandum, est causa, pro qua patrocinatur: est autem notandum, causam posse esse in quaduplici differentia; aut est iusta, aut est iniusta, id est, quam aduocatus arbitratur iustam, aut arbitratur iniustam; aut est dubia ex vtraque parte; aut est dubia, sed iustitia magis inclinat in vnam partem. Hac supposita diuisione.

Dico primò, pro causa iusta, quam ita esse existimat secundum suam sententiam aduocatus, licet forte, verè talis non sit, licetè potest aduocatus patrocinari.

Dico secundò, pro causa iniusta patrocinari, mortale peccatum est. Et si forte verè iniusta erat, & victoriam consequutus est aduocatus, ob suam defensionem, tenetur restituere damnum illatum parti aduersæ, si suus cliens non restituar: tenetur etiam restituere expensas clienti suo, quamuis victoriam non consequatur, nisi forte ipsum prius admonuit de iniustitia causæ, & voluit adhuc cliens litem prosequi.

Dico terriò, si causa est dubia ex vtraque parte, & iustitia non dignoscitur, potest aduocatus patrocinari; tamen, si postea comperit iniustam; immò si prius putabat iniustam, & postea

certò

tertò cognoscit iniustitiam, quamuis sit iam lis inter partes contestata, tenetur desistere, non tamen tenetur parti contrariæ prodere punctum iniustitiæ; sed tamen non amplius patrocinari; vt tenet S. Thom. 2. 2. At Soto lib. 5. de iusti. qu. 5. art. 2. limitat bene hoc: quòd cum notabile est detrimentum partis contrariæ, tenetur etiam prodere iniustitiam, eo casu, quo etiam testificari verum obligatus esset, licet non requireretur; sed hoc fieri non debet, nisi in graui casu aliquo.

Dico, quartò, quando iustitia ex vna parte magis inclinatur, licet altera etiam pars iusta videatur, tunc cum distinctione oportet procedere. Nam, cum defenditur reus aliquis, vel actor, qui notabile patitur detrimentum, tunc licet etiam minus iustam causam defendere: cum verò non patitur, sed potius contraria pars patitur, non licet: in rebus autem non ita grauis momenti, licitum est patrocinari, dummodo pars quæ minus iustam sequitur causam, admonetur huius, si fortè velit desistere. Aduerte tamen, quòd non debet esse ita minus iusta, vt iniusta dicatur, sed, vt sit iusta cum dubio aliquo, non tamen iniustitia apparente.

TERTIO principaliter in aduocato consideranda est scientia: tenetur enim scire ea, quæ communiter ad suum officium spectant: vnde, si ex ignorantia in causa est, vt eliens perdat causam, peccat, & tenetur ad restitutionem de damno illato; & tanto magis obligatur scire, quanto doctior reputatur, quamuis non teneatur tantam habere scientiam, quantam Bartol. cum non existimatur, nisi vt merito cititer eruditus. Idem etiam est censendum de diligentia: debet enim studere, cum difficultatem causæ iudicat: vnde, si ex negligentia ipsius causa perditur, tenetur restituere damnum.

Quartò, etiam necessarius est modus patrocinandi fidelis, non vt distorqueat leges in sensus falsos aperte; quamuis possit sequi opiniones probabiles Doctorum, in legum interpretatione varias. Similiter, non alleget falsum pro vero. Cum verò modus iste non seruetur, peccatum est obligans ad restitutionem damni, quod ex ea prouenit alteri.

Quintò, etiam necessarium est, vt iustum pretium pro patrocinio non excedatur: hoc verò est, quod taxatum est per principes. Quòd si non est, arbitrio viri recti taxandum est, habita consideratione horum, puta, grauitatis causæ: nam

minus pretium est in causa leui: similiter laborum in parrocinio: similiter dignitatis, seu scientiæ aduocati: nam magis meretur magni nominis Aduocatus: similiter etiam consuetudinis regionis illius.

Sextò, aduocatus non potest pacisci cum cliente de aliquota parte causæ, putà, si vincat, vt pro pretio det secundam, tertiam, vel quartam partem illius, quod ex victoria consequetur: hoc quidem non licet, non quia secundum se malum sit, sed quia prohiberetur, l. sumptus, ff. de pactis, ne Aduocati, quia sua res agitur, modum legitimum patrocinandi peruertant.

De Notario.

CAPVT LXI.

IN Notario, seu Tabellione, scientia, fidelitas, & iustitia necessaria sunt.

Circa scientiam quidē, tenetur scire, quæ sui officij sunt, & in eis obseruandis diligentiam adhibere: vnde, cum ex ignorantia, vel negligentia aliquid omittit in instrumento, vnde alter detrimentum patitur, restituere tenetur, nec excusatio admittitur: ver. grat. si omisit necessarium numerum testium in instrumento; si nō signauit diem, & annum; si fecit testamentum, quando, qui testabatur, erat amens, vel quia nesciebat esse necessarium plenum iudicium rationis in testatore, vel quia nullam fecit diligentiam, vt cognosceret, an ille esset compos mentis. Quòd si ista fecerit ex malitia, iam peccat contra fidelitatem, quæ in multis consistit.

Primò, ne conficiat falsum aliquod instrumentum, fingendo ea, quæ contractata non sunt; hoc enim graue peccatum est, obligans ad restitutionem, & lege ciuili pœna graui punitur.

Secundò, vt, postquam est verum instrumentum, in verbis sinceritas, & puritas seruetur: nam in causa præcipue criminali, multum refert, cum hoc, vel illo verbo factum narratur, cumque notarius in verbis non seruat puritatem, & aliter narrat, quam res se habeat, etiam quantum ad quantitatem, & qualitatem criminis, grauius peccat, & tenetur ad restitutionem de damno inde illato.

Tertio,

Tertiò, postquam verum, & syncerum confecit instrumentum, tenetur apud se seruare registrum quod vocant, & non dare alicui alteri, nisi transumptum aliquod: quando verò alteri detrimentum obuenit, ex eo quod apud notarium non manet registrum, tenetur de damno illato.

Rursus quartò, quando apud se retinet registrum, non debet retinere tantum in protocollo, seu in breuibus, vel albis, vt vocant; seias enim notarios non extendere instrumenta, quia proluxa sunt, nec possunt multa vno die conficere, vnde sumunt solum rei substantiam in chartula quadam, quæ dicitur protocollum, vt postea, cum eis vacat, in registro extendant: seias etiam illam chartulam nullam vim dare instrumento, nisi in registro sit extensum secundum iuris formam. Isti autem vix implent, aut extendunt ista instrumenta, vnde magnū periculum potest inde obuenire ijs, ad quos instrumentum pertinet, præsertim quia potest mori notarius, & tunc manent instrumenta, ac si nulla essent, ob id, in hoc grauius peccant notarij circa instrumenta.

Rursus quintò, non debent occultare instrumenta, quæ ab eis exiguntur: accidit enim, quòd vnus recurrit ad notarium, vt eadem faciat instrumenti, ratione cuius vult rem suā, vel quod sibi obuenit, exigere, notarius autem pretio aliquo ab opposita parte corruptus, occultat, negando se tale confecisse instrumentum, & in hoc etiam graue committitur peccatum, obligans ad restitutionem.

Rursus sextò, tenetur, etiam nullo exigente, si apud se manerit aliquod instrumentum, vel testamentum, ratione cuius quibus sunt legata, nec impleta sunt, ignorantibus ijs, quibus sunt, manifestare illud; primùm quidē ijs, quibus incumbit implere: quòd si non implent culpa sua, manifestet illis, quibus sunt. Et in hoc quorundam abusus est; nam manifestat illis, qui implere debent, non vt impleant, sed vt ab illis exigant pecunias, ne ipsi manifestent eis, quibus legata debentur. Hæc sunt, quæ ad fidelitatem notarij maximè spectant.

Iustitia autem consistit in duobus, in instrumentò, & in precepto. In instrumento quidem, adhuc in duobus.

Primum est, ne de re illicita, & prohibita faciant instrumentum, puta, de vsura: tunc enim peccant mortaliter, & aliquando tenentur restituere: cum enim faciunt instrumentum de contractu vsurario, manifestè exprimendo vsuram, tunc non

enentur restituere, licet peccent; quia illud instrumentum nullam vim dat usurario recuperandi usuras, ac si non esset, nisi esset in terris, ubi præceptum esset, licet iniustum, et usurae soluerentur. Quando vero facit instrumentum palliando usuram, puta sub nomine veri contractus, & legitimi usuram palliat; ut dat Petrus Joanni centum aureos, ut post duos menses recipiat centum & decem, usura est, tamen fit instrumentum nomine mutui, quod dat Petrus Joanni centum & decem, ut post duos menses totidem det, cum tamen non det Petrus nisi centum, hic palliatur usura, & notarius tenetur restituere usuram Joanni: nam per tale instrumentum obligatur in foro exteriori Joannes reddere centum & decem: quod si tale instrumentum fieret in fauorem Joannis petentis ad usuram, & cogantis ut tale fiat instrumentum; quia aliter non potest habere pecunias, tunc peccatum esset mortale notarii; sed non obligaretur ad restitutionem.

Alterum, in quo iustitia circa instrumentum consistit, est, ne faciat instrumentum prohibitum.

Sunt autem hæc instrumenta prohibita duo: quædam quæ continent materiam usuræ, nempe, si quis dominus velit restituere, ne soluentes usuras possint repetere illas in iudicio, aut qui acceperunt ad usuram, ut cogantur soluere, nullus notarius potest super hoc instrumentum conficere, & si conficiat, mortaliter peccat, & incurrit excommunicationem, a qua potest ab Episcopo absolui. Habetur hoc Clem. de usur. Quædam alia instrumenta sunt prohibita, nimirum, quæ sunt contra libertatem Ecclesiæ, & notarius peccat mortaliter, si talia faciat, & excommunicandus est, non tamen ipso facto incurrit excommunicationem. Hæc igitur est iustitia, quæ in instrumento consistit.

Altera est in pretio, & hæc duplex est.

Vna, ne accipiat pretium pro re, pro qua nullum est pretium exhibendum. Vnde in Concilio Trident. sess. 21. capit. 1. præcipitur, ne pro negotio ordinis, notarius quicquam accipiat; immò nec pro dimissorijs, aut testimonialibus litteris, si habet salarium ab Episcopo; quod si non habet, potest pro his duobus dictis accipere, sed solum decimam partem aurei.

Altera est, ne excedat pretium iustum instrumenti, pro quo potest pretium accipere. Hoc autem est frequenter lege taxatum. In qua taxatione, notandum est, apud aliquas regiones

exigi taxationes has, secundum pretia vilissima, quia sunt antiquissima, quando res minimo pretio emebantur, & tunc ipsa officia minus multo valebant; modo autem multum valent: & quis iuste possit notarius excedere illa taxata pretia, tamē vnū obstat, nimirum iuramentum, quod singulis annis, aut in principio officij facit, putā, obseruandi illam taxationem, ob id peccat transgrediendo. Vnde sanctissimē facerent Principes, si pretium conueniens, habita temporum, & regionum ratione imponerent, aut tale iuramentum, quo multi illaqueantur, auferrent penitus.

De Procuratore.

CAPVT LXII.

VLtima persona ex his, quæ in iudicio superius propositæ sunt, est Procurator. In quo multa etiam exigenda sunt.

Primum est scientia: debet enim quæ ad officium suū spectant, scire: vnde, si ignorantia litem clientis perdat, restituere tenetur, nec excusationem habet.

Secundum est, diligentia: debet enim necessarios terminos petere in iudicio, appellare, cum appellandum est, probare, quod probandum est, respondere, cum respondendum est, & in alijs necessarijs non deesse, cum que aliquid permittit ex negligentia culpabili, restituere damnum tenetur, quod, ob id, cliens incurrit, & multo magis si ex malitia facit.

Tertium est, veritas: debet enim dicere quod verum est, & non falsa, aut incerta. Et in hoc grauius isti peccant, quod nomine suorum clientū respondent in iudicio affirmatiuē, quæ potius ignorant: similiter negatiuē, & hoc iurando super animas suorum clientum: & his non contenti, cum vident imminere periculum suæ causæ, si cliens aliquid confiteatur, quod falsum est, & iuridicē inquisitum est, persuadent illi, vt neget fortiter, dicendo irrisiue, præstar esse martyrem, quā conflorem. Vnde peccant multum tales procuratores, inducentes ad periuriam, & mendacia in iudicio damnificantes alios, qui causam habent litem.

Quartum est iustitia, vt non nisi iustam causam defendant. Et in hoc, idem dicendum est, quod superius diximus de aduocato, quantum ad causam.

Iustitia etiam exigitur, vt pretium iustum tantum sui laboris exigant. In quo etiam abusus est, plus enim iusto exigunt; immò solent isti à clientibus petere pretia pro se, & pro aduocato, & pro notario, & sibi omnia usurpant, & aliquando parum quid illis reddunt. In quo peccant, obligati reddere illis suorum laborum pretia, quæ acceperunt: nam isti procuratores sunt ita exercitati aliqui, vt ipsi velint facere instrumenta, quæ ad notarios pertinent, & defensiones, quæ aduocatorum sunt, & rogant notarios, & aduocatos, vt subscribant, ac si sua essent, & modicum soluunt pro subscriptione, istis hoc acceptantibus, quia melius est, modicum lucrari, quam nihil, & quia procuratores alià non deferrent negotia ad ipsos. Et hoc peccatum etiam est; immò aliquando isti errant in facto, quia nesciunt aliquando facere vt oportet, & damnificant alios: vnde consequenter ad restitutionem tenentur.

Iustitia etiam exigitur, vt lites, quas primò acceperunt patrocinio defendendas, prius absoluant: solent enim istiusmodi patrocinia suscipere, & vnum, aut alterum prolequi, alijs dilatis, vt maius ab ipsis exigant pretium; cum tamen non possint suscipere, nisi quæ commodè, & absque clientum detrimento, ob moram, possint defendere: & susceptorum primum locum obtinent, quæ prius tempore suscepta sunt, nisi aliquid notabile detrimentum aliquis ob moram incurrat, altero eam non incurrente: cumque etiam prius incurrit, non debet suscipere secundum patrocinium, nisi secundo aduocato, se non statim posse in ipsius negotio patrocinari.

Iustitia etiam exigitur, ne terminos impertinentes petant, qui ad causæ non faciunt iustitiam, sed solum ad puram dilationem, vt cogant oppositos clientes desistere à causa illa, vel pactum faciant iniustum, vel saltem vt eis nocent.

Iustitia etiam exigitur, ne, post causæ victoriam, vltra pretia suorum laborum petant auctoria, vulgò dicta, manciandò enim licitè possunt ista accipere, nec illi dant, nisi coacti, quæuis dicant, se libenter, & gratis dare: & quamuis Nauar. c. 2. nu. 30. dicat posse accipi, tamen dicit debere esse modica. Mihi tamen melius videtur, nulla posse accipi: & quòd clientes dent inuiti, signum est, cum lite peracta, frequenter dicant hos procuratores esse rapaces, & (vt inuidia verbo absit) latrones: quæuis autem tales non sint, tamen tali verbo isti suum animum produnt, se non nisi ob necessitatem suas illi dare pecunias, etiam quas iustè soluunt.

Quid

Quid detractio, quotq; ipsius modi sint.

CAPVT LXIII.

Circa huius octavi præcepti posteriorem partem oportet tractare de detractioe; at q; à definitione incipiendum est. Potest autem sic describi; *est ablatio fame, per verba, cum intentione nocendi.* In qua definitione quatuor partes continentur.

Prima est, *ablatio*, detrahere enim est auferre aliquid à proximo, unde constat detractioem esse contra iustitiam, quæ prohibet alteri auferre, quod ipsius est.

Altera pars est, *fame*: fama autem est notitia & opinio, quã aliquis apud homines habet: quando bona est, dicitur bona fama; cum verò mala, dicitur mala. Differt ab honore: nam honor est reuerentia, quæ alicui exhibetur; tamen, tam honor, quam fama, sunt bona hominis externa; nam sunt alij, qui debent habere opinionem, & exhibere reuerentiam. Quando igitur aliquis aufert bonam famam & opinionem, quam aliquis apud alios habet, dicitur detrahere: ob id, detractio dicitur ablatio famæ; in quo differt à contumelia, quæ est ablatio honoris.

Tertia pars est, *per verba*: dupliciter enim potest aliquis bonam famam alicuius auferre.

Vno modo, apud se solum: vt, cum Petrus habens in se bonam opinionem Pauli, mutat eam, & concipit malam, tunc aufert in se famam Pauli: & si talis mala opinio concepta fuit absq; rationali causa, tunc pertinet hoc ad iudicium temerarium.

Altero modo, potest aliquis auferre famam, non solum apud se, sed apud alios, & hoc pertinet ad detractioem: cumq; homo suos conceptus verbo manifestet, ob id verbo fit detractio, ac propterea talis pars est in definitione posita. Aduerte tamē, per verba intelligi etiam nutus, & signa; intelligi etiam scripturas, quibus libelli infamatorij sunt. Rursus, intelligi ista formaliter & virtualiter: Verbum formale est, cum quis verbum profert; similiter de signo & scriptura: virtuale verò est, cum ex taciturnitate verbum insinuatur; cum enim quis tacet, cum loqui debeat, virtualiter loquitur aliquid approbando vel reprobando. Omnia ista per illam partem, *verba*, intelliguntur.

Quarta pars est, *cum intentione nocendi*: non enim sufficit in aliæ tres partes ad detractionem: nam cum quis iudicet aliquem accusat criminis, vel condemnat, famam auferit, non tamen detrahit: nam detractor famam auferit, in eum nocendi illi in fama, cui detrahit.

Aduerte autem, aliquem dupliciter intendere nocere alicui in fama.

Vno modo, directè, cum verè habet talem intentionem nocendi.

Altero modo, indirectè, cum, licet non habeat talem intentionem expressè, famam tamen auferit, ob finem minus principalem, quam sit illius famam offendere, vt, qui ob ludum, & iocum, vel absque fine, alterius famam auferit: & quamuis se à auferat ob bonum finem; tamen non seruat circumstantias, in quibus licet famam aliquando auferre; vt, cum licitum est, peccatum alterius alteri aperire, vt dictum est: qui enim profert talem finem famæ alterius, parum curat nocere, & licet indirectè habet intentionem nocendi. Hæc igitur est detractionis definitio. Sequitur, vt quor modi detractionis sint, proponamus: sunt autem octo, de quibus vide S. Thom 2. 2. q. 71. & est doctrina communis Theologorum. Qui quidem in duas partes diuiduntur: quidam sunt, quibus detrahitur versus circa malum, quidam, quibus versatur circa bonum. Circa malum, quatuor sunt modi detrahendi, hoc carmine contenti.

Imponens, augens, manifestans, in malum vertens.

Imponens dicitur, qui infamat alterum, imponendo crimen, & vitium, quod non habet; & hic est pessimus detractionis modus. *Augens* est, qui alterius crimen verum, narrando ipsum, auget, amplificando, & exaggerando, vt maius appareat. *Manifestans* dicitur, qui crimen occultum alicuius propalat, & manifestat alijs, illius famam auferre intendendo. *In malum vertens* dicitur, qui bona facta alterius in malam partem interpretatur, coram alijs illius famam minuendo. Ille dicitur in malum conuerrere bona alicuius, qui, quod ex se bonum est, leui ratione motus, & absq; causa rationabili, vt malum iudicat, quia possunt etiam ipsa male fieri.

Modi autem, qui circa bonum versantur, sunt etiam quatuor, qui hoc carmine continentur.

Qui negat, qui minuit, qui tacuit, laudare remisit.

Ille dicitur negare, qui virtutem alterius, ex qua famam a-

pad

puđ alios habet, coram illis negat. Ille minuit, qui, licet nō negat, tamen minorem, quam sit, suis verbis, aut signis facit. Ille autem tacendo detrahit, qui, cum de fama alicuius periculum est, cui potest ipse subuenire, nihil dicit; vel quia, alijs laudantibus aliquem, ipse tacet, in quo dat intelligere, se aliorum laudi non consentire. Ille laudat remissē, qui, quod magna laude dignum est, parū laudat, aut verbo, aut gestu, vel signo: & hic modus ad secundum reducitur: ob id communiter à Theologis septem modi detractionis describuntur, quos Scotus reducit ad tres, 4. sent. distinct. 15. sed distinctius habentur, vt sunt propositi.

Quale peccatum sit detractio.

CAPVT LXIV.

Peccatum detractionis mortale est ex genere suo, cum sit contra iustitiam. Et S. Thom. dicit, ex suo genere esse peius, quam furtum; nam magis est læsiuum proximi, cum per furtum auferantur pecuniæ, per detractionem verò fama, quæ præstantior est pecunijs. Hoc peccatum est communissimum, vnde Gloss. super illud Prouerb. 24. *cum detractoribus ne commiscearis*, dicit; hoc specialiter vitio penè totum genus humanum periclitatur: Deo est maxime odiosum; vnde David dicebat; *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequerbar*. Aduerte autem, quamuis ex suo genere mortale sit, tamen in tribus casibus fit de facto veniale. Primus est, cum est materiæ leuitas: cum enim est paruum nocumentum in fama, quamuis sit cum intentione nocendi, est veniale.

Tamen aduerte, leuitatem, aut grauitatem materiæ esse pēfandam ex tribus.

Primò, ex quantitate ipsius infamiæ in se, id est, vitij quod imponitur, aut boni quod tacetur.

Secundo, ex parte personæ diffamata: nam aliquando vitium impositum vni personæ, leuis est infamia, aliquando nulla: nam multi in vitijs se iactant, vt iuuenes in re venerea, milites in homicidijs: his autem detrahere imponendo similia, leuis materia reputatur; at si sit persona religiosa, aut studiosa, grauior est materia: vnde, Episcopis, personis Ecclesiasticis, publicis, religiosis detrahere, maius est peccatum, & crescit multum materia. Hic autem aduertenda est ex-

commu-

communicatio lata contra scribentes, & recipientes libellos infamatorios contra instituta sancti Francisci, & sancti Dominici, quæ excommunicatio est Papalis, & habetur in bulla, ex illo, qui habetur apud Anton. 3. p. tit. 24. cap. 70. De aliarum religionum institutis peccatum est detrahere, sed non est subiectum excommunicationi.

Tertiò, consideranda est materia ex parte personarum, numeri & qualitatis, apud quas infamia inducitur: nam apud vnum diffamare, minus est, quam apud multos; & apud vnum virum grauem, magis est, quam apud minus talem. Quando igitur, his omnibus adhuc perpensis, leuis materia est, fit veniale; quamuis duo priora potius consideranda sint.

Secundò, fit detractio venialis, vt dicit S. Tho. 2. 2. q. 73. cum fit absq; intentione expressa nocendi, sed ob iocum, vel aliam causam; sed hoc intellige, nisi sit notabilis infamia, tunc enim esset mortale.

Tertiò, cum, quamuis sit notabilis infamia, & cum intentione nocendi, tamen actus non fuit omninò deliberatus; vt cum quis inaduertenter, ira graui percitus alterius criminum propalauit, ita vt in tali manifestatione, non fuerit contumeliositatis compos: tunc namq; minuitur peccatum, vt fit veniale; sicut in periurio, & blasphemia aliquando fieri solet: tamen actus sit deliberatus, mortale peccatum est, tantam infamiam alteri intulisse.

De resolutione aliquorum dubiorum.

CAPVT LXV.

Dubia aliquot sunt, quibus magis in particulari ista materia declaratur.

Primum est, an diffamatum hominem liceat apud eos, qui ignorant illius crimen, manifestare; præsertim cum diffamatus est per iudicis sententiam in vno loco, an liceat id manifestare in alio loco. Ista quæstio fuit controuersa inter Caiet. opusc. 16. respon. 9. & inter Adria. quodlib. 11. q. 1. Ille affirmat, hic negat: in gratiam tamen resolutionis sunt duæ distinctiones aduertendæ.

Prior est, aliquis potest esse dupliciter infamatus.

Vno modo, per iudicalem actum; vt, qui conuictus est la-

traci-

latrocinij coram Iudice, & castigatus est, aut qui pro crimine hæresis punitus est, aut quid aliud infamiae contraxit in iudicio.

Altero modo, per publicum factum, quamuis extra iudicium; vt, qui commisit homicidium publicè, aut est manifestus latro, vel quid simile.

Posterior distinctio est; qui sic infamatus est, dupliciter se habet: aut enim post talem infamiam iam est bonam famam consequutus; tum quia temporis longitudine tradita sunt omnia obliuioni, tum quia vitam emendauit: aut nondum bonam famam est consequutus.

His suppositis, sint aliquot conclusiones,

Quarum prima est, manifestare crimen alicuius quocumque modo infamati, intentione ei nocendi, peccatum est; v.g. si aliquis est publicè conuictus & punitus pro latrocinio, tamen alius nescit istud, si Petrus huic manifestet, intentione nocendi infamato illi, peccat contra charitatem.

Secunda conclusio; si quis infamatus, siue per crimen publicum, siue per Iudicis sententiam, iam est bonam consecutus famam; qui absque legitima causa illius crimen manifestat, peccat contra charitatem, & contra iustitiam, verbi grat. est aliquis Romæ, qui iam à multis annis fuit per inquisitores publicè punitus, tamen post resipuit, & bonam famam modo habet, nec est qui recorderetur illius criminis; si quis hoc alijs manifestat, contra charitatem peccat, & contra iustitiam, & consequenter tenetur ad restitutionem. Contra charitatem quidem, quia nocet proximo; contra iustitiam verò (contra Sorio lib. 4. quæst. 10. art. 2.) quia, quamuis per iudicis sententiam fuerit illi fama antecedens ablata, tamen non sequens; vnde verè possidet bonam famam sequentem, quam qui aufert, iniuste aufert. Liceret tamen in quibusdam casibus,

Primus est, ad vitandum detrimentum corporale alicuius; verbi gratia, si quis existimatus bonus homo, cum tamen alio in loco esset damnatus latrocinij, versatur inter aliquos, vnde periculum esset ne res eorum raperet, tunc liceret illos admonere, illum conuictum fuisse latrocinij, nisi aliter possent auereri à conuersatione illius. Similiter, si quis se medicum iactaret magnum, cum esset ignarus, quia est in aliorum detrimentum, licet id dicere: in quo casu licet etiam occultum crimen manifestare.

Secun-

Secundus casus est, cum vergit in detrimentum spirituale alterius, in quo etiam casu licet occultum aperire: vt, si aliquis est hæreticus, cuius statua combusta est alibi: ignorant tamen in alio loco, vbi periculum est inficiendi alios; tunc licet id reuelare: similiter licet malos mores aliquorum manifestare, vt admonemus alios, ne conuersatione illorum peruertantur.

Tertius est, cum est in publicum detrimentum; vnde, si quis beneficium aut dignitatem vult assumere, cum verè sit inhabilis, nec possit iure recipere, quamuis occulta sit inhabilitas, licet reuelare, quia est in publicum detrimentum. De his vide Nauarr. cap. ** inter verba, numero octingentesimo quinquagesimo quarto.

Tertia conclusio, quando nondum est bonam famam consecutus, si per Iudicis sententiam infamatus est, non est contra iustitiam, nec contra charitatem, in eadem vrbe id manifestare ignorantibus; v. g. hodie Petrus est castigatus pro latrocinio publicè, nõ est mortale peccatũ id dicere alijs, qui adhuc nesciebant in eodem loco, In primis non est contra iustitiam, quia illi ablata est fama, & per accidens est, quòd aliqui ignorent, vel apud aliquos bona fama maneat: præterea nõ est contra charitatem, quia si non tunc, parum post apud alios divulgabitur tale furtum, ob id, in nullo iste nocet. Hunc etiã diffamare in alio loco, mittendo literas, aut verbo in alijs locis factum narrando, non est contra iustitiam, vt tenet Caiet. loco citato, & Bart. l. ex ea. ff. de postulando, quia iste diffamatus verè non habet famam, sicut si non haberet brachium; esse tamen contra iustitiam in duobus casibus.

Prior est, quando tertia persona infamaretur; vt, si frater diffamatus est in illo loco, cui fama auferretur, si frater infamia illuc deferatur.

Posterior est, cum diffamato aliquid aliud detrimentum corporale obuenit; puta, qui a forsan occideretur, vel in carcere careretur, vel priuaretur aliquo bono alio temporali. Nec etiã esset contra charitatem, extra hos casus, nisi quando diffamatus esset præsens in illo loco: tunc digito notare illum, extra casus secundæ conclusionis, peccatum esset: præterea quamuis sit absens, verisimiliter crederetur, quòd nunquam fama illius criminis perueniret ad locum illum distantem: cum vero quis manifestat in alio loco, quo alias non perueniret infamia illius, contra charitatem peccat.

Quarta

Quarta conclusio ; cum infamia est publica, licet non per iudicis sententiam, secundum Scotum, 4. d. 15. q. 4. non est peccatum in eadem vbe alijs manifestare, sicut de infamato per sententiam, dummodò sit verè publica infamia: vt, qui occidit hominem in conspectu publico, vel apud maiorem partem est notum illius homicidium, in alio tamen loco distanti non licet manifestare, vt dicit Soto loco allegato. Per hæc resolutur dubium primum,

De dubio secundo.

CAPVT LXVI.

Aliud dubium est, an possit aliquis se infamare. Caiet. v. detractio, dicit ad hoc duo.

Primum est, quòd nulli licet se infamare, sed peccat qui se infamat, non solum contra charitatem, sed contra iustitiam, & consequenter tenetur ad restitutionem; sibi enim debet famam reddere.

Secundum est, quòd non excusatur per torturam: vnde, cui in tortura sibi famam abstulit, confitendo crimen, quod non fecit, aut reuelando crimen quod non tenebatur, tenetur negare iterum, si falsum fuit, & pati torturam. Fundamentum Caietan. est, quia nullus est dominus suæ famæ, sicut nec suæ vitæ. Contrariam tamen opinionem tenet S. Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 4. ad primum, & Soto loco citato eum communi sententia In cuius explicationem sunt aliquot dicta notanda.

Primum est, se infamare, non est contra iustitiam, quamuis sine causa aliquis se infame, nisi ex consequenti. Dico, ex consequenti, quando quis se infamando, alium tertium infamat; tunc ratione tertij peccat contra iustitiam, se sine causa infamando; remota tamen alterius infamia, non est contra iustitiam: nam homo est dominus suæ famæ, sicut & pecuniarum: vnde, eam prodigere, non est contra iustitiam, nec est obligatio ad restitutionem.

Secundum est, se infamare absque causa, est peccatum contra charitatem, & in duobus maximè casibus est peccatum mortale.

Prior est, quando infamia est grauis multum: vt, qui sibi imponeret crimen hærelis, aut quid simile; non tamè esset mor-

tale.

tale, si imponeret non ita graue crimen, quod non multum esset famæ ablatiuum.

Posterior est, quando sua infamia alijs nocet, nimirum, cum est persona publica, cuius bona fama alijs prodest. Adde etiam, cum intercedit periurium, est mortale: omne enim firmatum iuramento mendacium est mortale. Remotis his casibus, non videtur mortale; præsertim, si non imponit sibi crimen; sed occultum manifestat.

Tertium est, quando aliquis in tortura positus manifestat crimen alterius verè, quamuis non interrogetur iudice, non peccat. Hoc est Sor. lib. 5. q. 10. art. 2. v. g. aliquis iniuste torquetur, vt complicem occultum reuelet, potest iste verum dicere, quamuis grauius peccet Iudex interrogando, & sic torquendo. Ratio Soti est, quia nullus tenetur cum tanto sui detrimento alterius famam conseruare, occultando peccatum commissum illius,

Hoc tamen limitandum est, cum non est in detrimentum publicum illa manifestatio: verbi gratia, cum quis interrogatur, vt manifestet aliquod secretum alicuius Reipublicæ, aut alicuius exercitus, ex cuius manifestatione sequitur, ex graue detrimentum Reipub. aut exercitus illius: vt, cum comprehenduntur milites vnius ab altero exercitu, solent iniuste interrogari, tunc debent potius mori, quam rem aperire.

Secundò, etiam limitari debet, cum, quod scit & interrogatur, cognouit ratione sacramentalis confessionis; tunc mille mortes pati debet potius, quam aperire: & ad hoc non solum tenetur Confessarius sacerdos, sed etiam interpretes, & laici: aut diens confessionem in necessitate, & literatus homo, qui consultitur de remedio peccati.

Tertiò etiam limitari debet, quando, qui peccatum illud scit, via iniusta cognouit, puta, vi & extorsione, aut fraude, & dolo: vt, qui in occulto loco peccata alterius audiuit, quæ in confessione dicebantur, tunc debet potius mori, quam reuelare, quamuis extra istum casum confessionis, si vi, aut alio dolo cognouit, non tenetur occultare in tortura graui, nisi sit peccatum, quod in mortem, vel abscissionem membræ alterius, vel aliquod graue nocumentum cederet: cum enim illa non obueniant illi alteri, posset excusari vi torture. Has tres limitationes ponit Nauar. in summa, c. 18. num. 32.

Quartum dictum est; potest aliquis absque peccato, in tortura

nra manifestare suum crimen verum, quamuis non interrogetur iuridice, & consequenter se infamare: nec enim tenetur famam sustentare cum tanto labore, cum sit ipsius dominus. Sed hoc intellige, quando non existimat se alteri nociturum in spiritualibus: verbi gratia, si quis apud multos esset habitus in magna existimatione, & haberet crimen occultum, quod si manifestaret, illi ad hæresim conuerteretur, potius talis mortem deberet pati, quam manifestare. Similiter quando sequitur reipub. detrimentum, vt superius diximus. Potest etiam sine peccato mortali confiteri crimen falsò sibi impositum, pro cuius confessione torquetur, nec hoc est mortale, quamuis sit ob talem confessionem suspendendus; vt bene dicit Soto loco allegato. Sed hoc intelligi debet citra iuramentum: nam periurium est mortale peccatum; quamuis si iam commissum est tale peccatum iurando, Confessarius non debeat obligare, vt iterum verum dicat. Intelligendum etiam est, ne noceat alteri, imponendo falsum ei: nam tunc contra iustitiam peccaret mortaliter, quia non est dominus famæ alterius, sicut suæ; ob id obligandus esset à Confessario verum aperire, quamuis pateretur mille torturas. Intelligendum etiam est, ne quod imponitur sibi, sit hæresis: talis enim forsitan mortaliter peccaret; non tamen post confessionem obligandus esset negare iterum, nisi alijs nocuisset, auferendo famam, vel detrimentum inferendo contra iustitiam. Confessarius ergo multum ista consideret.

De audiente detractorem.

CAPVT LXVII.

Non solum qui detrahit, sed etiam qui detractori consentit, peccat; vt docet S. Thom. 2. 2. q. 73. art. 4.

In cuius gratiam, nota dupliciter aliquem posse consentire detractori: vno modo directè, altero modo indirectè. Directè consentire stat tripliciter.

Primò, quando quis inducit alterum ad detrahendum, tunc non minus peccat, quam detractor.

Altero modo, cum non quidem inducit, sed delectatur in illa detractione, ex odio, quod habet contra detractam personam, & tunc etiam non minus peccat, immò aliquando magis, si odium est maius; & de his duobus modis intelligitur il-

lud Bernar. 2. lib. de considera. in fine; detrahere, aut detrahentem audire, vtrum horum detestabilius sit, nō facile dixerim.

Tertio modo, cūm delectatur, sed non ex odio, sed q̄o vanitatem, & otiositatem quandam; & tunc frequenter est veniale peccatum; licet detractor aliquando mortaliter peccet. Dico frequenter, & non semper, quia aliquando etiam taliter delectari, est mortale, in casu illo, quo, non impedire detrahentem esset mortale, vt statim dicemus. Indirecte detrahenti consentire, est non resistere, seu non prohibere detractionem, cum quis potest. Aduerte autem, quōd, qui non impedit detractionem, aut est persona priuata aut publica. Voco publicam, superiorem, & p̄fectum illius qui detrahit, vt Episcopum & Priorem, aut Generalem, respectu subditorū, patrem respectu filiorum, dominum respectu seruorum & famulorum, &c.

De priuata persona, quæ non est superior ipsi detrahenti, ipsam dico aliquando peccare mortaliter, non resistendo detractori, aliquando venialiter, aliquando nec mortaliter, nec venialiter.

Peccat mortaliter, cūm ex illa detractione magnum detrimentum obuēnit personæ detractæ: tunc enim peccat mortaliter contra charitatem, sicut qui videt furem rapientem bona proximi, & non impedit, cūm possit.

Venialiter verò peccat cum non sequitur detrimentum notabile proximo.

Aliquando verò neutro modo peccat.

Primò, quando non impedit ex timore, quia timet sibi probabiliter malum, vel nocumentum magnum, si resistat detractori: tunc enim non tenetur impedire. Dico magnum, quia quando parū nocumenti timet, & nocumentum proximi notabile est, tenetur aliquā iacturam pati pro proximo, quāuis non notabilem.

Secundò, quia pudet eum ob reuerentiam, putà, quia detractor est p̄latus, est dominus, est persona illustrissima, audiēs verò est inferior; quamuis, quando detrimentum est graue, tenetur aliquem pudorem pati ob proximum.

Tertiò, quando putat probabiliter se nihil profecturum, quia, quamuis ipse audiens discedat, aut loquatur impediendo, adhuc ille non desistet à detractione; si verò persona audiens est publica, vt diximus, tunc, non resistendo contra iustitiam peccat, & grauius, teneturque maius detrimentum pati in resistendo, quam priuata persona. Quōd si nullo modo

possit,

possit, vel non sine graui suo detrimento, adhuc etiam non peccat, sicut nec persona priuata. Multum autem quisque, quantum potest, debet fugere detractores, & dicere, & facere cum Dauid. *Detrahentem secretò proximo, hunc persequerbar.*

De restitutione fama.

CAPVT LXVIII.

Detractor tenetur famam, quam alteri detraxit, restituere. Vt autem ad talem restitutionem teneatur, aliquæ sunt necessariae conditiones.

Prima est, quòd verè abstulerit famam; si enim non abstulit, vel quia persona, cui detraxit, erat infamis, vel quia suæ detractioni non est fides adhibita, non tenetur.

Secunda est, quòd contra iustitiam abstulerit; Vnde Iudex iustam ferens sententiam, & accusator, & testis, & denunciatus, & alij, qui iustè famam alterius auferunt, non peccant, nec tenentur restituere. Quòd si faciant ista ex odio, peccabunt quidem, sed contra charitatem, ob id restituere non obligantur.

Tertia est, quòd persona detracta non recuperauerit famam alia via, puta, quia aliquis detractorem conuicit mendacij, vel quia ipse suo opere famam bonam recepit: tunc enim detractor non tenetur restituere.

Quarta est, quòd persona detracta non condonauerit famam aut remisit: si enim pretium accepit pro infamia, vel gratis noluit sibi restitui, tunc detractor non tenetur. Non tamen semper potest aliquis famam remittere; non enim potest, cum est persona publica, cuius infamia nocet alijs; nec potest, cum ex ipsius infamia sequitur alterius infamia vel detrimentum; nec etiam, cum infamia est contra fidem, vt, de crimine hæresis. Cum tamen solius ipsius est infamia & nocumentum, nec de tanto crimine est, potest condonare, aut pretio aliquo commutare. His positis conditionibus tenetur detractor ad restitutionem.

De modis restituendi famam.

CAPVT LXIX.

Quatuor modis aliquis potest famam alteri auferre. Vno modo, imponendo ei crimen falsum, vnde infamiam contraxit, & qui sic infamauit, tenetur coram his, in quorum presentia tale imposuit crimen, asserere se esse mentitum & falsum dixisse, & si opus est, id iuramento confirmare debet, vt credatur; & qui libellos infamatorios contra aliquem edidit, tenetur alios in contrarium facere, qui tam efficaces sint ad auferendam infamiam, sicut primi fuerunt ad inferendam.

Alter modus auferendi famam est, cum quis crimen alicuius, verum quidem, sed occultum manifestat, & tunc non tenetur sic restituere famam, vt dicat se falsum dixisse; hoc enim esset mentiri, quod nullus debet facere; sed debet in presentia illius, cui crimen manifestauit, illum saepe laudare, vt quantum fieri possit, bonam opinionem habeat ipsius. Aliquando etiam bonum erit dicere, se iniuste dixisse crimen illius, vt per hanc æquiuocationem intelligant alij, illud fuisse falsum: vt, qui morti proximus est, & alterius crimen, propter quod morte plecteretur, occultum manifestauit, tunc coram notario deberet dicere, se malè & iniuste dixisse; nam verum secretum patefaciendo, peccauit contra iustitiam enim manifestauit. Attende tamen, quod, qui prædicto modo, vel isto secundo infamiam incurrit, tenetur de damno illato, quod infamatus ob infamiam incurrit, verbi gratia, si quis ob crimen sibi falso impositum, vel contra iustitiam manifestatum, perdit beneficia vel officium aliquod, vel aliquod temporale bonum, tenetur detractor ad restitutionem talis damni. Attende etiam, quod si crimen occultum, quod quis manifestauit, accidat postea manifestum fieri, detractor a famæ restitutione liberatur, sed tamen peccauit detrahendo; quamuis, si aliquod damnum infamatus incurrit ob illam detractionem, antequam esse publicum peccatum, teneatur detractor restituere.

Tertio modo; Aliquis famam potest auferre, negando crimen, quod alter ei verè imponit, & consequenter faciendo mendacem: verbi gratia. Aliquis accusat aliquem coram Iudice de crimine vero, iste negat, & negando infamat accusatorem quia existimatur homo mendax & iniquus, tunc, si iudice

accusa-

accusatur, ita, ut possit probari, & probet crimen, si negat, verè infamat & tenetur restituere; tamen si non probatur crimè, tunc Caiet. verb. restit. cap. 10. dicit obligari ad restitutionem; tamen contrarium tenet Sylu. restit. 3. §. 3. Et ita tenendum est; quamvis reus peccet, mēdaciū dicendo, & mortaliter, si perius sit: tamē non tenetur reddere famam alteri, qui iniquus extitit accusator.

Quarto modo, potest aliquis famam alteri auferre, crimen manifestando, imperfectè dicendo se audiuisse ab alio Petrum esse adulterum, vel quid simile, & quamvis Caiet. 2. 2. q. 62. art. 6. & Sco. 4. d. 15. putent non esse detractorem, tamen contrarium tenet Soro lib. 4. q. 6. art. 3. & verè ita est: nam negari non potest, qui audiunt ab aliquo dicente se audiuisse, Petrum crimen commississe, minorem famam & opinionem habere de Petro; ob id, ad aliquam tenentur isti restitutionem, si verum dixerunt, saltem laudandi illum alium, & minuendi certitudinem dicti illius, à quo audiuerunt, si sine mendacio fieri potest.

De tribus dubijs circa restitutionem fame.

CAPVT LXX.

Dubitare aliquis potest, an cum detrimento famæ propriæ aliquis teneatur restituere alterius famam, quam detraxit.

Dico primò, quòd tenetur, etiam cum propriæ famæ detrimento, alienam iniuste ablatam reddere, sicut tenetur, qui furatus est res alienas, cum propriarum detrimento eas restituere: & aliquando cum maiori suo detrimento, quàm sit alterius infamia.

Dico secundo cum Sco. 4. d. 15. cum, qui infamavit, est persona publica, aut illustris, & magni momenti, infamatus autem est mediocris conditionis, non tenetur illustris, & talis persona, cum tanto detrimento, famam illi restituere, licet iniuste ablatam, sed potest resarcire pecunia. Et hoc tenet Soro loco allegato, quamvis etiam iste nolit pecunia sibi resarciri. Sed tamen hoc intellige semper, quando est notabilis multum excessus conditionis vnius ad alterum.

Alterum dubium est, an, cum periculo vitæ, teneatur aliquis reddere alteri famam. Dico, si infamatus idem etiam pe-

riculum vitæ subeat, absque dubio tenetur ille famam reddere, etiam cum propriæ vitæ periculo; vt, qui crimen hæreticis imposuit alicui, vnde ille comburetur, nisi detractor se falsum dixisse affirmet, ob quod occidetur, tunc tenetur verum aperire. Hic attende, quod si ille, qui subit periculum, non peccat hoc ex impositione alterius, sed tantum ob peccatum alterius tunc hic non tenetur verum dicere: ver. gra. Petrus occidit Iohannem: ob errorem comprehenditur Martinus, & morti adiudicatur, tunc Petrus non tenetur se manifestare, quia ipse non imposuit Martino. Quod si veller se manifestare, aliquando bene & meritorie faceret, in illo nempe casu, quando aliquis potest licite pro alio vitam exponere: quando vero imposuit falsum, & persona detracta non subit periculum vitæ, sed tantum famæ, aut similiter etiam rerum temporalium, detractor verò si manifestet, vitæ periculum subit, tunc dubium est, & quamuis Caiet. loco allegato existimet, numquam obligari aliquem, cum periculo vitæ propriæ restituere famam aut res alterius, tamen ego puro cum Soto esse dicendum, quod si notabilis sit infamia, tenetur etiam cum vitæ periculo restituere. De hoc tamen superius plura diximus, dum de restitutione tractaremus.

Tertium dubium est, cum sunt duo, qui se inuicem infamauerunt, an possit alter licite non reddere famam alterius. Dico, cum infamia æqualis est, id licite potest fieri, sicut fit in pecunijs, cum duo inuicem rapuerunt res alterius æqualis valoris, quamuis vterque peccauerit. Sed aduerte, quod si vnus vult alteri famam reddere, iste tenetur etiam illi suam reddere, nec potest cogere, vt non reddat, sed, isto non reddente, non tenetur restituere.

*De nono præcepto, Non concupisces res proximi.
Ex cap. xx. Exodi.*

CAPVT LXXI.

Avaritiæ peccatum in hoc præcepto prohibetur: In cuius explicationis gratiam, quid Auaritia sit, explicare oportet. Est autem Auaritia, appetitus diuitiarum voluntarius, & immoderatus; in qua descriptione quatuor sunt particulae.

Prima

Prima est, *appetitus*. Voco appetitum, actum quo volumus, seu desideramus rem aliquam.

Secunda est, *diuitiarum*. Non enim appetitus cuiuscumque, Auaritia est: nam si est honorum, & propriae aestimationis, Superbia est; si rerum carnalium, Luxuria; si verò diuitiarum, Auaritia.

Tertia particula est, *voluntarius*. Dicitur voluntarium, quod est spontaneum, & liberum, quod homo potest facere, & non facere: quando ergo homo sic appetit, quod in sua est potestate non appetere, sicut appetere, tunc talis appetitus dicitur voluntarius. Et hoc necessarium est, ut appetitus dicatur Auaritia; non enim peccatum est, quod voluntarium non est. Sed adhuc non sunt ista satis ad Auaritiam; sed opus est quarta particula, ut sit appetitus *immoderatus*, id est, sine modo, sine mensura, sine regula. Regula autem, qua talis appetitus mensurari debet, triplex est, Iustitia, Charitas, Liberalitas.

Quando igitur appetitus est contra iustitiam, tunc auaritia est; quod duobus modis contingit.

Primo, quando aliena appetit modo illicito habere, vel habita retinere: ut, qui vult pecunias alterius, ita, ut, si posset, etiã per furtum, vel rapinam, vel vim, vel modo simili habere, utique acciperet; aut similibus modis habita vult retinere; & talis appetitus voluntarius est peccatum mortale, nisi materiae leuitate fiat veniale.

Altero modo, quando vult habere, quæ ipsi non possunt iuste dari, nec data potest licitè retinere: ut, qui sciens se omnino indignum & inceptum, beneficium, aut officium deliberatè appetit, aut habitum vult retinere, peccat auaritia contra iustitiam.

Tunc autem est appetitus contra Charitatem, quando homo sic suis rebus afficitur, ut eas præferat diuino præcepto, & sit paratus retinere, quamuis præceptum dilectionis proximi non seruetur. Obligatur enim homo lege Charitatis, in extrema aut graui necessitate proximi, ei succurrere cum potest. Cum igitur aliquis sic appetit suas res, ut sit paratus in nullo casu subuenire, aut in tali casu nolit subuenire, auarus est, & est mortale peccatum talis appetitus sine modo Charitatis. Quando verò sic est appetitus ille, ut nec contra iustitiam sit, nec contra Charitatis præceptum, sit tamen contra liberalitatem, qua homo ex superfluis; & ex his, quæ non sunt

multum necessaria, habet quandam obligationem subuenien-
di necessitatibus aliorum, quamuis non grauibus, tunc, vt plu-
rimum, est veniale peccatū, saltem ex genere suo, nec in mor-
tale, nisi contra iustitiam, aut contra charitatem sit. Est ergo
auaritia, diuitiarum appetitus, voluntarius, & immoderatus.
De auaritia tractat S. Thom. 2. 2. q. 118. quæ est contraria iusti-
tiæ, charitati, & liberalitati.

Quid Gabella, & quotuplex.

CAPVT LXXII.

VT Auaritia in particulari consideretur, oportet ab es-
sæntia gabeliarum incipere. Videtur autem gabella
sic definiti posse: *Gabella est tributum publicum, à Principe
in communem vtilitatem exactum.* In hac definitione quatuor
sunt partes.

Prima est, *tributum*. Voco tributum id, quod aliquis dat, seu
contribuit, siue pecunia sit, siue pecunia æstimabile.

Secunda est, *publicum*: nam gabella non ab vno, aut altero
exigitur, sed à communitate.

Tertia est, *à Principe*. Per Principem, intelligo publicam po-
testatem: non enim est priuati hominis exigere gabellas, nisi
superioris potestatis, vt dicitur inferius.

Quarta est *in communem vtilitatem*: non enim gabella con-
tribuitur, nisi in bonum, & vtilitatem publicam: vnde, si dan-
tur aliquando ad Regis sustentationem, id est, quia Regis con-
seruatio vtilitas est publica. Vides in hac descriptione causam
materiale, efficientem, & finale. Materialis est, tributum;
efficientis, est Princeps, seu publica potestas: finis est, commu-
nis vtilitas. Multis modis potest, & solet diuidi gabella, de quibus
vide Sylu. verb. gabella, i. nec doctores sibi constant in his
nominibus; modi tamen, qui magis videntur in vsu, quatuor
sunt.

Primus modus, dicitur vectigal, à vehendo, quod ex merci-
bus, quæ inuehuntur in ciuitatem, soluitur. Fuit autem insti-
tutum istud tributum, ad expensas pro extractione pontium
& viarum, & ædificiorum communium, etiam ad Principum
sustentationem. Dicitur portorium, eo, quod in porta ci-
uitatis soluitur. Dicitur Italicè, Doana. Dicitur etiam pedā-
gium.

Secun-

Secundus modus est, qui soluitur pro ducatu vitæ, vt homo securum habeat iter à larronibus; & dicitur guidagium, quod aliquando è mercibus, aliquando è sola persona soluitur.

Tertius modus est, qui soluitur ex his, quæ in ciuitate emuntur, & venduntur, & dici potest vocabulo restricto, gabella; defectu enim nominis, commune applicamus particulari.

Quartus modus, dicitur Italicè tallia, id est, summa aliqua, quam Princeps aliquando, pro occurrentibus necessitatibus, solet exigere ab inferioribus: hæc species, seu modi gabellæ videntur communiore, & magis in vsu esse.

De iustitia exigentis vectigalia.

CAPVT LXXIII.

Quatuor sunt necessaria, vt prima species Gabellæ iusta sit.

Primum est ex parte causæ efficientis, vt sit imposita ab Imperatore, vel Rege, vel Concilio generali; vel sit tam antiqua, vt memoriam vincat hominum. Ita habet in c. super quibusdam, de verb. signific. Cum Concilio Doctores intelligunt Papam, qui ex se potest exigere. Sub Rege, Tabie. & Armilla intelligunt ciuitates Italiæ, quæ mistum habent imperium, id est, in temporalibus nulli substant: vnde consequenter intelliguntur Dux Florentiæ, Dux Ferrariæ, & similes. Quando autem aliquis, absque facultate talium, noua imponit vectigalia, iniusta sunt; & excommunicatus est in Cœna Domini, qui, sine facultate, noua pedagja imponit. Etiam iniustum est, vetera augere; & aliqui volunt, etiam incurri excommunicationem prædictam. Tamen Armilla verb. gabella, §. 8. & Rosel. excommunicatione, quadragesimo quarto, §. 5. dicit, non incurrere; quia ibi solum habetur, qui noua imponunt; pœnæ autem sunt restringendæ. At, in contrarium est communis opinio, quam tenet Angel. verb. pedag. §. nono, & Syluest. excommunicatio. 8. §. 14. Nauarr. cap. 29. num. 58.

Secundum est, ex parte materiæ, super quam imponitur vectigal. Non enim de his, quæ in proprios vsus inuehantur,

exigenda est gabella; hoc enim est prohibitum, C. de vectigal. l. vniuersi, vbi prohibetur, ne vectigal exigatur de his, quæ in proprios vsus inuehantur, aut ad soluendum fisco, aut de his, quæ reuehantur ad colendum rus. Talia autem vectigalia exigere, non solum est peccatum, sed excommunicatio. Cœnæ Domini annexum, vbi excommunicantur, qui prohibita pedagia exigunt.

Tertium est, ne exigatur à personis Ecclesiasticis; nam quamquam, de casibus, prohibetur sub excommunicatione Episcopali, ne vectigalia exigantur à Clericis, quod intelligitur de his, quæ in proprios vsus inuehantur, secus de mercibus, quæ negotiandi causa vehuntur. Dices, quæ igitur differentia est, inter ipsos, & laicos? Dico, quod ante bullam Cœnæ, non erat excommunicatio contra exigentes à laicis, post bullam verò Cœnæ, est excommunicatio, non solum à Clericis, sed etiam à laicis exigere, & iam non est Episcopalis. Rursus, ut dicemus, differentia est, quod collectas ex proprio vsu licet à laicis, sed non à Clericis exigere, sine licentia Papæ.

Quartum est, vt sit gabella moderata. Quam moderationem Bald. assignat, super l. 2. C. de iure aureor. annul. vt non excedat tertiam octauæ partis mercium. His conditionibus, adde finem superius positum, vt sit communis utilitas: nam cum Principes in proprios luxus, & prodigalitates exigunt, non excusantur à iustitia diuina. Nota, necessarium etiam esse, vt vectigalia non excedant 24. partem mercium, ex quibus exoguntur. Hic aduerte, Principes, videntes se non posse exigere gabellas ex his, quæ in proprios vsus inuehantur, à ciuibus, nomen mutarunt, & idem pretium, & tributum exigunt, sed vocant collectas, quas dominus Caietan. non probat, vt vectigal. Tabiena verò & Armilla probant cum limitatione postea, cum distinctione procedendo: Regibus, & potestatibus secularibus non licet, nisi cum duabus conditionibus, quas ponit Tabien.

Vna, vt sit propter grauem necessitatem.

Altera, quod à proprijs subditis tantum exigatur, non à forensibus. At Pontifici, quia ipse non substat legibus Imperialibus, licet etiam à forensibus exigere per suum statum transeuntibus, non tamen sine urgente necessitate, quæ in utilitatem communem tendat: & reuera vix potest talis necessitas accidere; nam videtur iniustitia hic committi, cum plus soluat, qui plus in proprios vehit vsus, plus autem inuehat,

qui plus indiget. Quomodo ergo iustum est plus exigere à plus indigente? Melius fieret, si talis gabella aliter suppleretur.

De iustitia exigentis Guidagia.

CAPVT LXXIIII.

TAbiena benè dicit, non licere dominis ista Guidagia exigere, quia ipsi tenentur suas terras securas facere, & quietas. Quod si aliquid possint exigere, tunc tenentur ad restitutionem eorum, à quibus viatores spoliantur, cum eorū negligentia accidit, quia custodias non ponunt. Cum igitur hoc in usu non sit, non licet eis talia exigere. Licet tamen istis rusticis accipere aliquid à viatoribus, ut viam doceant, ut ipsos comitentur ad securitatem, quia ad hoc non tenentur isti de iustitia: ob id, pretium recipere possunt. Guidagia etiam nō possunt imponi, nisi à quibus vectigalia, cap. super quibus, de verb. signifi. Circa primam verò speciem gabellæ, non videtur necessarium, ut imponatur ab Imperatore, Rege, vel alijs prædictis personis: potest enim imponi, etiam à dominis subdijs Principibus: nam caput illud prohibens impositionem gabellarum omnibus, præter prædictas personas, non procedit, nisi de pedagijs, & guidagijs; reliquæ verò tres conditiones ut moderatum sit pretium, & non exigatur ab Ecclesiasticis personis, sine licentia Papæ; & non exigatur ex his, quæ in proprium usum emuntur, & necessariæ sunt. Et quamuis ista tria possint aliquando non seruari, tamen debet esse in necessitate aliqua vigente, & in bonū commune, vergente, cui aliunde vix, aut nullo modo possit succurri. Quæ quidem necessitas, vix potest occurrere. Vnde, tales gabellæ, quæ ex his, quæ ad sustentationem propriam emuntur, exiguntur, magnam speciem habent iniustitiæ, & vix possunt iustificari. Et ex hac parte, illa gabella, quæ apud Hispanos dicitur, *alcuala* videtur iniusta: quæ quidem exigitur, tum è mercibus, tum ex his, quæ in proprios usus emuntur: nec solum ex hac parte iniusta videtur, sed etiam quia iam cessauit finis, propter quem fuit imposita, puta, bellum Granatæ: & quamuis bellum esset, Reges illi sunt adeo diuites facti, & gabellæ etiam aliæ adeo pingues, ut possit prouideri sufficienter, absque tanta exactione.

Circa

Circa Talliam verò, obseruandæ sunt conditiones tres quarum vel vna deficiente, iniusta censetur.

Prima, vt nõ imponatur, nisi ob communem & publicam vtilitatem, qua cessante, statim cesset. Vnde, non bene faciunt, qui exigunt gabellam, vel talliam aliquam quotiãnis, pro murorum erectione, vel pro fortificanda ciuitate, vel pro alio bono communi, & cessantibus finibus his, adhuc exigunt tales gabellas.

Secunda est, vt non imponatur, nisi graui existente necessitate communis vtilitatis, cui vix potest ex aliis publicis redditibus succurri.

Tertia est, vt modo iusto imponatur, nec oneretur plus pauper, quàm diues; cum iustitia potius exigat: vt, qui plus habet, plus ab eo exigatur. Est autem hic considerandum, quòd licet Principes possint facere aliquos exemptos à solutione gabellarum, debent tamen ita facere, vt quod ab illis exacturi erant, non oneretur super alios pauperes: esset enim tunc ex aliena arca facere eleemosynam. Hoc autem necessarium est in omni gabella, & cessante fine, propter quem imposita est, ipsa cessat, nisi alius æqualis finis successerit: ex qua parte, multæ gabellæ multum habent ex iniustitia admistum.

De iustitia soluentis Gabellas.

CAPVT LXXV.

Quatuor punctis continentur ea, quæ ad soluendâs gabellas pertinent.

Primum est, nullus tenetur reddere pœnam impositam non soluentibus gabellas, quamuis nõ soluerit, nisi prius condemnetur per iudicis sententiã: v. g. est pœna, qui non soluit gabellam mercium, perdit totas merces, si quis est, qui noluit soluere, quamuis peccauerit, tamen non tenetur restituere talem pœnam, donec per Iudicem damnetur. Hac est communissima doctorum sententia.

Secundum est, quando gabella cognoscitur iniusta, nullus peccat non soluendo gabellas, nec tenetur tales restituere. Est autem iniusta gabella, quando deficiunt conditiones superius posita.

Tertium est, quando gabella est iusta, aut non est certum

esse

esse iniustam, tunc peccatum est non soluere, & obligatur homo ad restitutionem, quia est contra iustitiam. Dixi autem, quando non cognoscitur iniusta, quia subditus, nisi ei nota sit iniustitia, debet facta Principem vt iusta probare. Vnde, 23. quæst. 1. cap. quid culpatur, dicit Papa, milites posse pugnare in bello iusto, vel in bello, de quo non sunt certi, esse iniustum.

Quartum est, sufficit soluenti gabellas, vt sine vlla fraude merces suas vehat, paratus soluere gabellam: quod si non exigatur ab eo, non tenetur ipse quærere exactores. Ista est Tabien. verb. pedagium, §. 8. & Soto lib. 3. de iusti. in fine. Dixi, sine fraude, quia non licet abscondere merces, nec pacisci cum custodibus, vel alijs vti dolis: tunc enim à restitutione non excusatur; sed debet aperte, & absque fraude, ac si gabella non esset exigenda, procedere. Adhuc autem limitandum hoc videtur, quando est consuetudo in illis terris exigere, & custodias ponere. Quod si consuetudo esset, quod ipsimet præsentarent merces, vtique tenerentur hoc facere in gabella iusta. Soto adhuc limitat, dummodo non sit magis momenti; sed ego puto, si dubia esset gabella, quod adhuc non teneatur, dummodo, vt dixi, fraude non vtatur. Sunt autem valde dubiæ istæ gabellæ, quæ exiguntur ex his, quæ in proprios vsus, & familiæ quis emit.

Quid beneficium, & quotuplex.

CAPVT LXXVI.

Beneficium, vt in præsentî sumitur, & aliàs sacerdotium dicitur, sic definiti posse videtur: Est *ius percipiendi fructus, ex bonis Deo dicatis, clerico, propter diuinum officium, competentis.*

In qua definitione quatuor sunt partes.

Prima est, *ius percipiendi fructus*, id est, facultas, seu potestas secundum iustitiam recipiendi, & exigendi fructus, putà, pecunias, vel alia in sustentationem necessaria.

Secunda pars, *ex bonis Deo dicatis*. Aduerte: in principio nascentis Ecclesiæ, illi Christiani sua bona, seu magnam partem eorum offerebant Deo, in sustentationem eorum, qui Ecclesiæ inserviebant, & in præparationem eorum, quæ necessaria

erant.

erant diuino officio, puta, vasorum, templorum, & aliorum: unde ex his bonis, & decimis, quæ etiam in tales usus solentur, collecta est magna summa reddituum Deo dicarum, quæ post diuisa est in quatuor partes à Papa Sylu. vt habetur c. 4. suorum decretorum: Vna data est Episcopo, altera habita ecclesiæ reservata est; altera inter clericos talis ecclesiæ diuisa, pro ministeriorum qualitate; quarta pauperibus. Est ergo beneficium, ius exigendi fructus ex ista parte, quæ personis ecclesiasticis obuenit.

Tertia pars est, *Clerico competens*; nam seculares non possunt de iure habere beneficia.

Vltima pars est, *finis*, nimirum, *ob diuinum officium*, quod in laudibus diuinis consistit, in sacrificio Missæ & sacrorum administratione, non quòd isti redditus dentur in pretium sed in sustentationem talium personarum, vt à cura sibi prouidendi liberæ Deo melius vacare possint. *In populi vilitate*, in ista quarta parte differt beneficiu à præbenda, puta, quòd non est annexa canoniæ: nam præbenda datur homini seculari, non ob tale officium, sed, vel quia bene meritus est de ecclesiâ, vel quia in spiritualibus seruit ecclesiæ, vel ob paupertatem, vel aliam honestam causam: unde talis præbenda, est ius percipiendi fructus, sed non ob diuinum officium; ob id, non est beneficium: & in hoc eodem differt a pensione, quæ propter tale officium non datur, licet in reliquis conueniat. Circa species, seu modos beneficiorum Sylu. verb. benef. i. dicit multo mihi videtur magis ad rem, diuidi posse in quatuor genera. Quædam enim habent curam animarum, & iurisdictionem exteriorem, vt Episcopatus, Abbatia aliquæ, & Prioratus. Quædam neutrum habent, sed tantum officium diuinum, vt beneficia dicta simplicia, cappellania, &c.

Alia habent iurisdictionem, sed non curam animarum, quæ in administratione sacramentorum consistit, & huiusmodi sunt aliquæ Abbatia, quæ dicuntur iurisdictionales, similiter dignitates, vt Archidiaconatus, & Decanus, quæ quandam iurisdictionem in choro habent.

Quædam, quarto loco, curam habent animarum, sed non iurisdictionem, vt beneficia, quæ dicuntur curata.

rara.

Quis possit conferre beneficia.

CAPVT LXXVII.

PArum ad Confessarios pertinet scire hoc, tamen ad doctrinæ plenitudinem dico aliqua.

Primum est: Papa, de plenitudine potestatis, habet facultatem conferendi vbi que terrarum beneficia quæcunque: est enim summus dispensator rerum ecclesiasticarum.

Secundum est, de iure ad ordinarium spectat, beneficia suæ diocesis conferre, nisi sit aliquod statutum in contrarium, vel aliqua immemorabilis consuetudo; tunc enim alius ab Ordinario possit conferre.

Tertium est, capitulum non potest conferre beneficia per se, nisi in tribus casibus.

Primus est, quando Ordinarius est suspensus à collatione beneficiorum, vt non possit conferre; aut excommunicatus c. tanta de excess. prælato.

Secundus, quando vacat sedes, & tale beneficium, quod capitulum cum Episcopo solebat providere; tunc enim Episcopo, aut Ordinario vacante, solum capitulum potest conferre; secus, quando solus Ordinarius conferre debebat.

Tertius, quando est beneficium iure patronatus: quamuis enim solus Ordinarius conferebat, sede tamen vacante, potest capitulum. Extra istos casus non potest de iure: secus, si aliquod speciale habebat priuilegium, vide Sylue. beneficium 2. Aduerte tamen, aliud esse beneficium conferre, aliud resignare, præsentare, & eligere. Conferre, est dare ipsum ius, & vultum exigendi fructus, & potestatem exercendi officium, & hoc solum ad prædictas personas pertinet. Resignare verò est, signare & determinare aliquem, cui beneficium conferatur; & hoc facit, qui vnū habet beneficium, & vult in alterum transferre. Eligere verò est, vnū aliquem offerre Ordinario, vt beneficium cōferatur ei: & hoc possunt sæculares facere, & olim fiebat, & modo fit in aliquibus locis, in quibus populus, aut capitulum eligit vnū, vel duos, vt eis beneficium conferatur. Præsentare est, cum absque suffragijs id facit aliquis, ex facultate sibi concessa: vt, qui habent ius patronatus, vnū præsentant, cui Ordinarius beneficium conferat. Hi tres modi semper indigent primo, qui fit per prædictas personas.

Con.

Contingit ergo modis quatuor, aliquem dare beneficium aut per viam collationis, aut per viam resignationis, electionis, aut presentationis.

Quomodo aliquis debeat dare beneficia altari.

CAPVT LXXVIII.

Q Vicumque aliqua via ex prædictis quatuor, alteri dare beneficium aliquod, duo debet obseruare.

Primum est, vt det gratis, id est, absque pretio rei pecunia appretiabilis: tunc enim esset graue peccatum iniuriæ, de qua dicemus inferius.

Secundum est, vt det iuste. Iustitia autem in duobus consistit.

Primum est, vt det digno; qui enim vilo modo dat beneficium indigno, quem scit indignum, grauius peccat, & tenetur ad restitutionem ecclesiæ, cuius redditus male locat. Quod tamen sit hoc peccatum, indignis beneficia conferret, non videri potest.

Primo namque iniuria Deum afficit, quia ipsum priuatur honore, & cultu suo, ad quem beneficium est institutum.

Secundo, iniurius est ecclesiæ, quia redditus ipsius male collocat, dando ipsi ministrum ineptum.

Tertio, iniurius est multis dignis, quibus tale beneficium poterat dari. Graue ergo peccatum est, beneficium dari indigno. Dices, quæ sunt necessaria ad hanc dignitatem. Dico, tria.

Primo est necessaria scientia, saltem eorum, quæ ad illius officium spectant.

Secundo, morum compositio, & rectitudo: qui enim corruptis est moribus, ineptus est ad Dei officium, & consequenter ad beneficium.

Tertio, aptitudo ad exercendum tale officium: qui enim doctus, & bonus est, tamen nescit exercere officium illud, vel non potest, quia alijs occupatus non potest vacare tali officio, vel quia, etiam si non occupetur, tamen non est datus paxi, hoc exercitio exteriori, tunc indignus censetur. Est igitur hoc aduertendum, ne indigno conferatur; qui aliter confert, peccat

conuincit

conuincitur de acceptione personarum: non enim ex bona causa, & rationabili, moueri potest sic ad conferendum.

Secundum etiam est, in quo talis iustitia consistit, vt digniori detur beneficium: qui enim prætermittit digniorem, etiamsi conferat digno, peccat, vt tenet S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. quamuis ad restitutionem non obligetur. Similiter etiam, qui alia via à prædictis dat beneficium. Et licet aliqui velint, non peccare, dummodo digno det, tamen probabilior, & communior opinio est, quod peccat: ratio enim naturalis id videtur postulare; vt, si aliquis habet pecunias alterius, vt ei ministrum prouideat, profecto debet digniorem, & meliorem quam potest, dare; alias, iniuria afficit ipsum, qui dedit pecuniam, & digniorem. Verum est, quod debet iste excessus percipi: quando enim est paruus, aut non benè dignoscitur, nullum est inconueniens, si digno detur, præsertim si spectatur maior futura dignitas probabiliter, quam sit in præfati. De hoc tamen superius diximus, dum de Episcopo loqueremur.

Duo sunt casus, in quibus potest dari beneficium digno relictò digniori.

Vnus est, in beneficijs patrimonialibus, in quibus distribuendis potest relinqui dignior, si externus est, & eligi cuius dignus si tamen indignus est, nõ debet vllò modo dari, sed potius ex-terius est admittendus.

Alter est, in beneficijs, quæ quis ex rebus proprijs instituit, & vult dari ijs, qui sibi sunt cognati, de quibus habetur 16. quæ cap. monasterium. Talia possunt dari digno cognato, relictò digniori non cognato, cui non debet conferri: quamuis, quando talia curam habent animarum, non sit bona talis institutio; vt, si quis instituat monasterium, & velit suam cognatam esse Abbatissam. Sunt ergo beneficia ecclesiastica, gratis, & iuste conferenda.

(. .)

De accipiente beneficia.

CAPVT LXXIX.

Necessaria sunt duo accipienti beneficia. Vnum est aptitudo subiecti. Alterū, debitus modus. Circa prius, Concil. Trid. sess. 22. c. 4. statuit, vt non habeat beneficia, nisi qui iuris conditiones habet.

Harum autem prima est, vt sit clericus; qui enim saltem primam tonsuram non habet, non potest, absque speciali Papæ facultate, habere beneficium.

Secundò, vt sit ex legitimo matrimonio; nec enim illegitimus absque dispensatione potest accipere beneficium.

Tertiò, vt sit legitimæ ætatis; cap. cum in cunctis, de elect. determinatur ætas in Episcopo, vt attingat trigésimum annum; in Curato, vt attingat vigésimum quintum. In Concil. verò Trid. sess. 23. c. 6. assignatur ætas aliorum beneficiorum simplicium, vt sit quatuordecim annorum. Sine hac autem ætate, beneficij collatio nulla est, citra dispensationem.

Quartò opus est, vt non sit iuris impedimentum, puta, irregularitas, excommunicatio, & alia huiusmodi.

Quintò, vt sit dignitas, quæ in tribus prædictis sit, scientia, morum rectitudine, & aptitudine in officium, quæ in pueris licet actu non sit, sufficit esse in probabili spe.

Sextò, vt non habeat aliquot beneficium: qui enim vnum habet, non potest alterum accipere, sine dispensatione. Occasione huius, de beneficiorum pluralitate aliqua oportet considerare, quæ tam pœnitentibus, quàm Confessorijs necessaria sunt.

An liceat plura habere beneficia simul.

CAPVT LXXX.

Plura beneficia habere, est de eorum numero, quæ mala sunt, tamen possunt bona fieri, si aliquibus bonis circumstantijs copulentur. Explico; sunt aliqua, quæ ex se mala sunt, & numquam possunt fieri bona, vt mentiri, quocumque modo, & sine quis mentiatur, semper peccat. Non est huiusmodi, plura habere beneficia: nam aliquando licitum est, & bonum.

bonum. Alia sunt, quæ ex se indifferentia videntur, nec mala nec bona, nisi sine determinantur, vt ambulare. Quædam ex se mala videntur, tamen cum aliquibus circumstantiis bona sunt, vt occidere hominem, malum sonat statim, tamen si fiat modo aliquo, puta, in propriam defensionem, aut in Reipub. utilitatem, bonum est. Huiusmodi est hoc, plura habere beneficia, malum simpliciter est, quamuis, cum quibusdam circumstantiis, bene fieri possit. Statuamus ergo primò, quare malum secundum se sit.

Huius autem rationes multæ sunt.

Primò, quia priuatur Deus cultu suo; magis enim per plures ministros, quam per vnum colitur.

Secundò, priuatur ecclesia suo iure: dum enim plura beneficia vnus vsurpat, ecclesia caret suis ministris, & sic destruitur.

Tertiò, fit iniuria alijs dignis, qui beneficio priuantur, dum vnus plurimum loca occupat.

Quartò, videtur contra rationem naturalem; nam vnum membrum vnum habet corporis officium, & vnus minister vnum debet habere officium. Vnde Gregorius, distinct. 89. capit. singula, ita statuit, vt singuli singula haberent beneficia.

Quintò, datur locus ambitioni, dum vnus non contentus his, quæ habet, plura habere anhelat.

Sextò, pereunt studia bonarum literarum; nullus enim studio scripturæ sacræ incumbit, sed scientijs humanis, de pane lucrando, quia vident se non posse vllum pro merito consequi beneficium. Non ergo dubium est, quin malum sit secundum se, plura beneficia vnum possidere.

Quando liceat plura habere beneficia.

CAPVT LXXXI.

Non est ita malum, plura beneficia habere, quin liceat, causis rationabilibus, ea retinere. Causæ autem istæ, quæ hominem in conscientia tutum faciunt, per tres sequentes regulas explicantur.

Prima est, licitum est, in casibus iure concessis, plura retinere beneficia, etiam curata. Pro declaratione aduerte, aliter se habere ius ante Concil. Trid. aliter post. In antiquo iure

licebat in sex casibus, plura simul habere beneficia, etiam curata.

Primus habetur 10. q. 3. can. vnio; quando sunt exigui redditus beneficij, vt vnus non possit sustentare ministrum talem, quali indiget ecclesia illa, habita ratione personæ, loci, & temporis, tunc concedit ius, vt plura possint haberi, donec faciant conuenientem sustentationem, & sic 21. q. 1. cap. illud, concessum est, vt vnus sit Archiepiscopus Tarraconensis, & Episcopus Fuadensis. Sed attende, quod isti redditus sunt mensurandi iuxta ministri qualitatem, quo ecclesia indiget: si enim ecclesia potest ministrari per ministrum, qui centum possit alii, non debet beneficium dari alteri, qui indiget mille, propter luxus suos, vel sublimitatem suam; sat est ecclesiæ, vt tot redditus dignum possit habere ministrum.

Alter casus habetur 21. q. 1. c. clericus; puta, cum est indigentia hominum, id est, cum non sunt ministri plures, qui remaneant beneficia, plura tunc vni conferri possunt. Sed intellige de indigentia, & defectu dignorum; licet enim multi sint, qui beneficia accipiant, tamen pauci digni sunt, tunc ex defectu dignorum, vni digno plura conferti possunt.

Tertius est, 21. quæst. 1. c. qui plures, cum vnum beneficium habetur in titulum, alterum in commendam: solebat enim tunc beneficium dari alteri beneficiato, donec quæreretur dignus, cui posset conferri, quia, qui beneficium iam habebat, dignus præsumebatur, & tunc dicebatur illud habere in commendam. Hac via potest vnus plura beneficia habere. Sed attende, quod non debet esse hoc cum fraude legis, quales sunt commendæ perpetuæ, seu ad vitam; tunc enim perinde est, ac in titulum habere. & contra, ratione commendæ. Sed humana auaritia inuenit fraudes; cum enim vnus non possit habere plures Episcopatus, aut beneficia, aut saltem beneficium, tunc habet in commendam perpetuam, quod profectò fraudis est contra legem.

Quartus casus habetur cap. eam te. de arate, qualitat. ordin. præfici. & cap. quia monasterium, de relig. domi. quando duo beneficia vnita sunt, & ad vnum redacta. Sed attende, illas uniones diuersarum ecclesiarum non esse licitas, nisi in vtilitate, vel necessitate ecclesiarum ipsarum fiant, quia alter non possunt commodè ministrari; vel ob causas, quæ in ipsarum commodum sunt. Cum enim tamen fiant ob auaritiam, & additandas personas, contra bonum ecclesiarum, non sunt in con-

scien-

scientia securæ; & sic in Concil. Trid. multa dicta sunt contra istas vniones.

Quintus casus habetur cap. extirpandæ, de præb. quando aliquis habet canonicatum in ecclesia cathedrali, & habet aliquam parochiam annexam, ratione annexionis, potest vnus plura beneficia habere; quamuis olim, cum iste casus concessus fuit, canonici erant Episcoporum consultores, ob id, eis concedebatur in cathedrali ecclesia residere, & vicarium in parochia constituere: modò autem, cum iam non id faciant, sed aliquando otiosi sint, melius forsan esset, si in parochia resideretur, & vicarius in cathedrali poneretur.

Sextus casus habetur cap. de multa, de præben. Sublimibus, & literatis personis conceditur plura habere beneficia: sed hoc intellige, cum talis sublimitas, & scientia sunt ornamento Ecclesiæ, & vtilitati, & alias non. Semper enim ante oculos habendum est, vt beneficium non detur, ne accipiatur, nisi in Ecclesiæ vtilitatem, cuius bona sunt, quæ distribuuntur. In his casibus; ius antiquum concedebat pluralitatem beneficiorum: nam Concil. Trid. quatuor casus statuit de nouo, qui nostris temporibus magis conueniunt, sicut ius antiquum illo tempore conueniens fuit.

Primus habetur Sess. 24. c. 13. Non potest vnus plures sedes episcopales habere, quamuis exigui redditus sint, quòd si conueniens videbitur, aliquando vni dari plures, tunc Conci. provinciale debet causam examinare, & remittere Pontifici, vt disponatur quod iustum fuerit.

Secundus habetur ibidem; Nullus potest plura curata beneficia habere, nec quæ residentiam exigunt, vt sunt illa, quæ habent iurisdictionem, vel chorum. Quòd si aliquando redditus vnus valde exigui fuerint, tunc poterit Episcopus dare beneficium simplex, non tamen cum cura, vel residentia; quòd non fuerit, alatur tunc ex decimis, vel ex parochialium contributione.

Tertius est in eadem Sess. cap. 17. Nullus deinceps potest habere plura beneficia, etiam sine cura, quocumque modo, nec etiam ad commendam perpetuam, nisi cum vnum ad sustentationem, pro ratione personæ, loci, & temporis non sufficit. Aduerte tamen, quòd Concilium aliter de curatis, aliter de simplicibus loquitur: nam de curatis, & Episcopatis, vult, vt, qui ante Concilium habuerunt, relinquunt, & cum vno manent: de simplicibus statuit, vt in posterum fiat, vt di-

xi, antecedentes autem in possessione relinquunt.

Quartus est, Sess. 7. c. 7. In annexis parochijs ad canonicatū, Episcopus sua manu constituat Vicarium perpetuum, cui tertia parte fructuum, nisi aliquando id videatur aliter conuenire. Hæc sunt, quæ modo obseruanda sunt post Concilium. Et prima posita regula sic procedit. Qui plura habet beneficia in casibus à Concil. concessis, tunc licitè habet: qui de nouo datus sunt pro posteris: primus quando simplex est cum curato, ratione exigui redditus: secundus quando ob eandem causam simplicia plura sunt: vnde, ius hoc idem ferè est cum antiquissimo Greg. can. singuli, dist. 89. in quo singuli, singula tantum habere beneficia sinebantur.

Secunda regula, non obstante isto iure Concil. qui cū penitencis dispensatione plura, quæcumque, & quomodo cumque beneficia habet, tutus est in conscientia. Sed aduerte, vt in foro exteriori possit illa habere, satis est dispensatio; tamen, vt in conscientia, & coram Deo tutus sit, necessaria etiam est causa dispensationis. Hæc autem causa debet esse, in utilitatem Ecclesiæ, vel ob ipsius Ecclesiæ necessitatem. Quando causa non est in bonum Ecclesiæ, non est bona dispensatio, nec est homo securus coram Deo. Rursus, quamuis ista causa sit, non potest sine dispensatione habere plura beneficia pingua, quia est contra Concil. sed verumque est necessarium, dispensatio, cum causa conuenienti.

Tertia regula est: Qui hætenus ante Concilium plura simplicia habent beneficia, quamuis retinere possint, in foro exteriori securi, tamen in conscientia securi non sunt, nisi causa iusta sit huius pluralitatis: quæ causa debet esse aliqua ex sex concessis in iure antiquo, vel quæ sit in Ecclesiæ utilitatem. Denique plura habere beneficia, quorum redditus excedunt conuenientem sustentationem, habita ratione personæ, loci, & temporis, malum est, nec in bona conscientia talis pluralitas retinetur: nec idem est de vno beneficio pinguisimo, quia hoc vnum habet officium; at plura beneficia, plura habent officia, quæ sine iusta causa, non debent dari vni, etiam digno. Hæc dicta sint de pluralitate, superest de residetia: sed iam diximus de ea in tertio præcepto. Non sat est istas habere condiciones, ad habendum beneficium, sed modus necessarius est, id est, vt sine simonia habeatur, sed gratis, & absque peno: sed de simonia paulò inferius dicemus, postquam de pensionibus beneficiorum aliquid dixerimus.

Quid

Quid Pensio, quotuplex, in quibus à beneficio differat.

CAPVT LXXXII.

Pensio sic potest describi: *Est ius percipiendi fructus ex alieno beneficio.*

In declarationem, nota in beneficio duo esse.

Vnum est, dignitas quædam ecclesiastica, ad aliquod officium in Ecclesia ordinata, & ista vocatur titulus.

Alterum est, ius quoddam percipiendi fructus ex bonis Deo datis. Aliquando vni, & eidem vtrumque inest, & tunc non est pensio; aliquando accedit, vt vnus habeat titulum, & alter habeat ius percipiendi fructus omnes, aut partem aliquam eorum, & tale ius dicitur pensio, & qui istud ius habeat, dicitur pensionarius. Ex hoc patet declaratio pensionis, quantum ad eius definitionem.

Pensio triplex est, quædam est temporalis, quædam spiritalis, quædam media, nec omnino temporalis, vt prima, nec spiritalis, vt secunda.

Temporalis est, quæ datur etiam laicis, pro aliquo ministerio temporali extra Ecclesiam exhibito, vt militi, vel duci pro Ecclesia pugnanti, dari solet pensio aliqua, siue perpetua, siue temporalis, ex bonis Ecclesiæ. Similiter alteri, negotia eiusdem ecclesiæ temporalia agenti, vt œconomis, & alijs huiusmodi. Tales sunt pensiones datæ Regibus Hispaniæ, qui habent tertiam partem decimarum: hoc enim est datum ab Ecclesia, pro defensione, & pace, in qua sustentant Ecclesiam ab inimicis.

Spiritalis est, quæ datur ob officium aliquod spirituale erga Ecclesiam, v, quæ datur Concionatori, propter concionem & coadiutori Episcopi, vel Parochi, vel Sacristano, vt Ecclesiâ præparet, & ei inferuiat.

Media est, quæ datur alicui ob resignationem, vel cessionem beneficii, & hæc communiter hodie vsitatur: cum enim, quis alteri suum resignat beneficium, retinere solet pensionem aliquam, vel cum cedit iuri, quod habet circa tale beneficium.

Istæ tres pensiones multum à beneficio differunt, quamuis quædam minus, quædam magis. Beneficium enim, inter alias habet istas quatuor proprietates.

Prima est: Qui habet beneficium, tenetur persolvere singulis diebus horas canonicas, vt alias diximus.

Secunda: Non potest beneficium vendere, nec mutare pro re vlla, vel pretio temporalis.

Tertia: Potest commutare cum altero beneficio, & dignitate spirituali.

Quarta, si ducit vxorem, perdit beneficium, nec potest illo modo retinere. Ista competunt beneficio.

Pensiones autem non omnia ista habent.

Sed prima pensio, quæ temporalis est, habet quatuor contraria: non obligat ad persoluendum horas, nec ad aliud aliquid recitandum: potest etiam vendi, & mutari pro re temporalis: non potest commutari pro beneficio ecclesiastico, quia esset simonia: non perditur propter matrimonium.

Secunda autem pensio spiritualis non obligat ad persoluendum horas, sed solum ad exhibitionem ministerij, propter quod pensio datur: non tamen potest vendi, nec redimi, & in hoc cum beneficio competit: sed non potest commutari cum beneficio, & in hoc à beneficio differt: quamuis enim pensio hæc spiritualis sit, quia pro beneficii loco datur, tamen temporalitatem habet, quia titulo caret: perditur etiam per matrimonium, quando non potest cum matrimonio inuentionem tale exhiberi.

Tertia pensio non obligat etiam ad persolendas horas canonicas, quamuis Pius V. obligauerit ad recitandum officium beatæ Mariæ, nec sine licentia Papæ, potest vendi, quamuis possit redimi: tunc autem dicitur redimi pensio, cum, qui habet beneficium, conuenit cum pensionario, vt tantam accipiat summam, ne amplius exigat pensionem, quæ summa solet esse ex quinque annatis, vt, si est viginti aureorum, redimere centum aureis, quinquies enim viginti sunt centum. Rursus non potest pensio commutari cum beneficio, quia esset simonia. Talis etiam pensio perditur per matrimonium, vt habet Corrasius de pensionibus cap. 4. sed hoc de iure intelligitur: nam in c. vnic. de clericis coniug. in sext. habetur, quod clericus coniugatus non gaudeat vlllo priuilegio clericali, nisi duobus, puta, ne conueniatur coram iudice seculari, nec in ciuili, nec in criminali: & quod, qui cum peregrino, sit excommunicatus His etiam duobus non gaudeat, nisi portet habitum, & tonsuram. Ex hoc sequitur, quod pensionem hanc tertiam non potest habere, quia est clericorum priuilegium;

non

non enim datur, nisi habenti confuram saltem. Sed puto esse consuetudinem iam in contrarium, quod profectò mirabilis est abusus; dum multi relinquunt beneficia, retentis pensionibus, & ducunt uxores; immò hoc animo forsàn receperunt: quod profectò pessimum est, nec in bona conscientia isti possunt tales retinere pensiones, vt statim etiam patebit.

Quomodo quis licitè pensionem habeat.

CAPVT LXXXIII.

Tres sunt conditiones, quibus omnibus, aut earum vna deficiente, non potest aliquis pensionem habere.

Prima est dispensatio. Nullus enim potest vllam retinere pensionem super bona Ecclesiastica, sine dispensatione. Hæc autem non pertinet ad vllum prælatum, nisi ad solum Papam; quamuis hoc ex iure non constat, sed ex consuetudine sola. Vbi ergo deest dispensatio, pensio licitè haberi, aut retineri non potest.

Secunda est, causa: sine causa enim non habet locum in foro interiori, & coram Deo dispensatio; sed tantum in foro exteriori: vnde, qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt nec excusantur, quia Papa dedit; & ipsius est considerare, quomodo dedit. Hoc, inquam, non excusat: si enim quis accipiat pecunias ab œconomò, quem scit malè dispensare res domini, & contra iustitiam, non potest tunc retinere. Papa autem non est dominus bonorum & reddituum Ecclesiæ, sed tantum vniuersalis dispensator. Vnde, sicut, cum dispensat in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adsit, ita in pensionum & beneficiorum distributione. Causa autem hæc debet esse in vtilitatem Ecclesiæ, cuius sunt bona: si enim nulla via in Ecclesiæ huius vel vniuersalis vtilitatem tendat, nõ est causa legitima.

In iure duæ causæ in particulari habentur.

Prima; cap. nisi essent. de præben. & cap. audiui, de colluf. de regen. quando aliqui litigant & rixantur de beneficio. ne rixa cedat contra vtilitatem, & in damnum Ecclesiæ, quia priuatur illo tempore ministro, solet de licentia Papæ, illi, qui maiorem habet iustitiæ rationem, dari beneficium conueniente pensione alteri assignata.

Secunda causa habetur, ead quæstiones de rerum permutat. cum vna ecclesia habet beneficium pinguius, altera minus pingue, & sic permutatio, tunc datur pensio ex pinguiori, ad suppleendum fructus minus pinguis beneficij; & hoc solet fieri cum personæ permutant beneficia, sed cum dispensatione. Advertendum tamen hic est, quod pensio non debet dari, nisi pro fructibus tantum, qui maiores sunt vnius beneficij: cum enim datur pro ratione ipsius beneficij, quia est maior dignitas, vel honoratior titulus, tunc simonia est. Ultra has causas sunt etiam aliæ causæ conuenientes pensionum.

Tertia est, propter ministerium aliquod temporale erga Ecclesiam exhibitum.

Quarta, propter ministerium etiam spirituale exhibitum Ecclesie, quia homo inseruit in temporalibus, vel in spiritualibus Ecclesie.

Quinta, quia est benè meritis de Ecclesia, licet actu non inseruiat, & sic dari potest homini, qui suis lectionibus vel concionibus insudauit in Ecclesie vtilitatem, aut qui suas etiam operas consumpsit in vtilitatem temporalem Ecclesie.

Sexta, potest dari his, qui futuri sunt ministri Ecclesie, vt præparentur, & talia sunt illa, quæ Hispani vocant præsumptoria, quæ dabantur studentibus, & futuris ministris Ecclesie.

Septima est paupertas, præsertim clericorum: sunt enim multi beneficio carentes, nec vnde viuant habentes, quibus sanctissimū esset aliquas assignare pensiones. Etiam laicis possent dari: nam bona Ecclesie etiam pauperibus obueniunt. Denique causa pensionum debet esse pia, quæ in vtilitatem Ecclesie, & honestatem conuertatur. Nec solæ istæ conditiones sufficiunt, sed debet esse tertia, nempe modus.

Modus autem in duobus consistit.

Primò, ne pensio, quæ ab vno percipitur beneficio, sit adeo pinguis (Contra. tract. de sacerdot. cap. 4. num. 7.) vt non remaneant fructus cum titulo, quibus possit conuenienter beneficium habens sustentari in suo officio. Vnde iniquissimum est nec excusabile, omnes fructus exigere pro pensione, & maxime ex beneficio habente curam. Olim non dabatur nisi tertia pars: nec in omni beneficio exigi potest: nam cum omnes simul beneficij fructus exigui sunt, non est exigenda pensio.

Secundò, ne tot cumulentur pensiones, vt sustentationem excedant conuenientem hominis. Vnde mirabilis est abusus

eorum,

corum, qui multis hinc inde se onerant pensionibus; cum, unde viuere possint pro conditione sua, habeant; & quod peius est, nulla adest causa, propter quam, vel vnā possint habere: quibus vix potest persuaderi, vt vel minimam pensionem à se expellant, sed morte coguntur malè possessa, & retenta dimittere.

De Simonia, quid sit.

CAPVT LXXXIV.

INter ea, quæ de simonia tractanda occurrunt, id primum est quid sit. Videtur autem sic posse describi. Simonia est *studiosa voluntas, contractandi pretio, rem spiritualem*. Sunt in hac definitione quatuor partes.

Prima est, *studiosa voluntas*, id est, actus voluntatis, seu volitio libera & deliberata: non enim peccatum consistit, nisi in voluntate libera, tunc autem volitio libera dicitur, cum in manu hominis est, se cohibere à tali volitione. Hac parte prima vitur S. Thom. 2. 2. qu. 100. & alij communiter in definitione simoniæ.

Secunda est, *contractandi*. Per contractare, significamus quemcumque contractum, in quo pretium intercedit, siue sit emptio, siue venditio, siue locatio, siue permutatio, siue alius huiusmodi contractus: simonia enim in tali contractione consistit.

Tertia est, *rem spiritualem*. Contractare rem spiritualem, putà, emere, vendere, locare, permutare, simonia est. Dices, quæ res vocatur spiritualis? Dico vniuersaliter, omnem illam rem vocari spiritualem in præsentia, quæ à Deo, vt est auctor gratiæ, procedit, vel ad Deum, vt est auctor gratiæ, ordinatur. Explico, fides docet, Deum esse creatorem & Saluatorem, ea, quæ ad creationem pertinent, vt omnes hæ res sensibiles, & creaturæ omnes, secundum proprium suum esse, & proprietates, dicuntur pertinere ad Deum, vt est auctor naturæ; Ea verò, quæ ad Deum pertinent, vt est hominum & Angelorum etiã Saluator, qui creaturam rationalem ad suum finem supernaturalem producit, dicuntur pendere ab ipso, vt est auctor gratiæ, & dicuntur res spirituales. Huiusmodi autem sunt in quadruplici differentia.

Quædam dicuntur res spirituales essentialiter, quales sunt

virtu

virtutes, & dona supernaturalia, quæ vi naturæ non possunt obtineri, vt Fides, Spes, Charitas, gratia, & alia huiusmodi.

Quædam dicuntur spirituales causaliter, quia sunt causa rerum prædictarum, vt septem sacramenta Ecclesiæ, ad quæ reducuntur alia sacramenta, vt aqua benedicta, Catechismus, Exorcismus, Chrismatis confectio.

Quædam dicuntur spirituales effectualiter, quia sunt operationes ex aliqua spiritali potestate procedentes, vel operationes ad Deum ordinatæ, vt concionari, cantare in choro, sepelire mortuos, dispensare in voto, matrimonio & alijs excommunicare, & ab excommunicatione absolueri, & alia huiusmodi.

Quædam tandem sunt spirituales res ex annexione, quæ sunt in duplici differentia.

Quædam quæ ad officium spiritali ordinantur, vel ex spiritali ordinatione dependent, vt beneficia omnia Ecclesiastica. Ius enim percipiendi fructus annexum est ordini & dignitati spiritali, & ad diuinum officium ordinatur.

Quædam quæ præparatoria sunt ad spiritalia, vt vasa sacra, vestes, candelæ benedictæ, campanæ, templa, & huiusmodi alia. Omnia hæc quatuor sub genere rei spiritalis concluduntur, & contractare ista, ad simoniam pertinet.

Quarta pars est, *pretio*: debet enim intercedere pretium in simonia; & vbi deest ratio pretij, non est simonia: vnde attentè considerandum est, quòd, quamuis detur aliquis pecuniam, nisi detur vel accipiatur pro pretio rei spiritalis, simonia non est.

Pretium autem hoc communiter solet à doctoribus distinguere in tria; & sumpta est dist. 1. q. 3. can. Saluator.

Est pretium muneris, putà, pecunia, vel res pecunia æstimabilis.

Est pretium linguæ, putà, laus vel vituperium, quæ aliquando sunt præcia, cum æstimantur pecunia: vt, si quis conueniat cum aliquo se daturum beneficium, si ipsum laudet coram alijs, vel inimicum aliquem vituperet, tunc est pretium & simonia.

Est etiam pretium obsequij, cum quis inseruit alicui in ministerijs temporalibus pro retributione; vt œconomus, vel alij huiusmodi ministri. Vbi ergo aliquod horum pretium intercedit, & tamquam pretium pro spiritali re simonia est. Hinc patet quid sit simonia. Dicta autem est simonia à Simone

Mago,

Mago, primo auctore huius peccati in lege Evangelica, cuius fit mentio Actuum 8. qui, ut habetur 1. quæst. 3. can. Saluator, voluit emere donum Spiritus sancti, id est virtutem miraculorum, ut idem posset vendere alijs cum lucro. Ab hoc ergo qui rem spiritualem vendere vel emere præsumit, simoniacus dicitur.

Quale peccatum sit simonia.

CAPUT LXXXV.

Simonia ex genere suo mortale peccatum est, contra religionem. Ex triplici autem capite peccat simoniacus.

Primò, quia vendit quod non est veniale: res enim spiritualis vel minima omnem excedit pecuniam & rem temporalem: unde tali pretio non est venialis.

Secundò, quia vendit quod suum non est; nam 1. Corinth. 4. homo dispensator est rerum spiritualium, non dominus; qui ergo vendit rem spiritualem, alienam rem vendit.

Tertiò, quia facit contra originem rei spiritualis; gratis enim huiusmodi dona accepit homo, gratis ergo debet dare, non pretio. Est autem simonia prohibita iure diuino & naturali, & canonico. Iure diuino, ex illo Matth. 7. *Gratis accepistis, gratis date.* Act. 8. *pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et in veteri testamento prohibita erat, ut patet de illo Giezi. qui lepram contraxit, quia pretium à Naaman exegit 4. Reg. 5. Est etiam iure naturali prohibita; nam quamuis res spiritualis sit supernaturalis, quia tamen est non venalis, simoniacus contra naturam peccat, cum vendit quod veniale non est. Est etiã prohibita iure Canonico, ut patet 1. q. 3. per totam, & in multis alijs canonibus. Notandum est tamen aliquas esse simonias, quæ non sunt prohibita, nisi iure canonico, quando res non sunt omnino spirituales, vel non est verum pretium, tunc ex se simonia non est, nisi quia prohibita est à Papa. Et hoc modo permutare beneficium beneficio, absque licentia Pontificis esset simonia, quia prohibetur cap. quæsitum. de rerum permuta. Rursus 5. qu. 3. can. saluator, prohibebatur vendere officium œconomi Ecclesiæ; & esset simonia vendere, non tamẽ ex se, quia illud temporale officium est. Hoc modo, puo, esset simonia, vende. e pensiones sine facultate Papæ, quia consue-

tudo

tudo obtinet, non posse transferri sine licentia. Quando verò res est verè spiritualis, & pretium est temporale, tunc, secundum tria prædicta iura, prohibita est simonia; nec in talium venditione potest Papa dispensare, sicut in prima poterat.

De speciebus Simoniæ.

CAPVT LXXXVI

Tres sunt species principales simoniæ; mentalis, conuentionalis, realis.

Mentalis duplex est; altera, cum quis interius vult rem spiritualem pretio contractare, (voluntate deliberata, tamen non deuenit ad actum exteriorem; vel quia non inuenit cum quo contractet, vel quia pœnituit, vel alia quavis causa.

Alterca mentalis est, cum exteriùs aliquid spirituale traditur pretio, tamen non manifestat exteriùs esse pretium. Verbi gratia, aliquis dat centum aureos alicui, hac intentione, vt traderet beneficium ei, tamen nec implicite, nec explicitè significat alteri pretium esse, tunc est simonia mentalis, quæ potest committi, aut ex parte vnius dantis beneficium, aut ex parte alterius dantis pecuniam, aut ex parte vtriusq; simul. Quando igitur pactum nec implicitum nec explicitum pretij intercedit, sed tantum in intentione manet, & opus exteriùs sequitur, tunc simonia mentalis est. Quando verò est pactum aliquod exteriùs implicitum vel explicitum, tamen non sequitur consummatio operis ex vtraq; parte, tunc est simonia conuentionalis; quæ tripliciter fit.

Vno modo, quando tantum est pactum pretij, tamen nondum est datum pretium, nec translatum beneficium.

Altero modo, quando cum pacto est translatum pretium, sed nondum acceptum beneficium.

Tertio modo, cum datum est beneficium, vel res spiritualis, nondum tamen est pretium acceptum. Omnes hæc simoniæ conuentionales dicuntur: quando verò est perfecta ex vtraq; parte consummatio, simonia realis est. Requiritur ergo ad realem, intentio interior pretio contractandi; exteriùs pactum implicitum vel explicitum. Quando autem datur pecunia vel pretium simul cum beneficii collatione vel promissione, præsumitur pactum implicitum, licet nihil exprimat. Requiritur etiam operis consummatio ex vtraq; parte, vt sit beneficij

beneficij vel rei spiritualis translatio seu exhibitio: similiter etiã pretij acceptio: vno deficiente, vt dicit Armill. verb. simonia, non realis, sed potius conuersionalis aut mentalis est. Hæ sunt simoniæ species, quas multum antè oculos habere oportet: multum enim inter se differunt, quantum ad pœnam exteriorẽ, vt dicitur postea, quãuis omnes tres ex genere suo, mortalia sint peccata.

De tribus regulis ad cognoscendam simoniam.

CAPVT LXXXVII.

IN particulari nunc oportet tractare, qualiter simonia in singulis spiritualibus committatur; ac antè omnia. quatuor generales regulæ sunt anteponendæ.

Prima fundatur in vno hoc supposito; pecuniã, seu aliquid pecunia æstimabile, posse multis rationibus dari pro re spirituali: Vno modo per modum pretij; altero modo, per modum sustentationis, ipsis ministris rerum spiritualium, seu per modum elemosynæ; tertio modo, per modum oblationis, quæ fit Deo in suo ministro; quarto, per modum liberalitatis, seu spontaneæ donationis & gratitudinis; quinto, per modum laudabilis consuetudinis: nam consuetudines aliquando originẽ habent ex sustentationis ratione, seu ex oblatione; & sic; qui ex tali consuetudine dat temporale pro spirituali, videtur dare per modum oblationis aut elemosynæ.

Hoc supposito, fit prima regula. Numquam simonia committitur, nisi eum temporale datur tamquam pretium pro spirituali. Semper ergo aduertendum est, an intercedat ratio pretij: cum enim datur temporale verè, non vt pretium, tunc ibi simonia non est.

Alteræ regula innititur alteri fundamento, putà, spiritualia se habere in triplici differentia. Quædam sunt pure spiritualia, nullam temporalem mixtionem habentia, vt virtutes supernaturales & potestates, ipsarumque vsus. Quædam sunt mixta ex spirituali & temporali, tamen plus participantia de spirituali, vt sacramenta, in quibus materia intercedit temporalis; similiter sacramentalia; similiter beneficia Ecclesiastica. Quædam sunt etiam mixta, sed plus habent de temporali, vt vasa sacra, templorum loca, officia cantorum & musicorum.

Hoc

Hoc supposito sit secunda regula generalis: pretium dare vel accipere pro quacumq; re harum spirituali, ita ut pretium sit pro spirituali, simonia est. v. g. si ematur calix plaris, quia consecratus est, tunc simonia est.

Tertia regula generalis: cum pretium intercedit pro re spirituali pura, aut plus habente de spirituali, simonia est; nec oportet distinguere, an illud pretium sit pro re, qua temporalis est: nam tota simpliciter censetur spiritualis; unde quocumq; modo & titulo sacramentum, aut beneficium emere simonia est.

Quarta regula: cum pretium intercedit in mixtis plus habentibus de temporali, non est simonia, nisi specialiter ematur pro spiritualitate. Vnde licet pretium accipere, vendere, aut emere calices etiam consecratos, pretio eodem quo emere conueniunt, ac si non essent consecrati; similiter pretio vendere musicum organorum & cantorum officia, & sonare campanas, & alia huiusmodi, dum modo, ut dixi, nihil amplius accipiatur pro parte, qua spiritualitatem quandam habent,

De Simonia in primo & secundo genere rerum spiritualium.

CAPVT LXXXVIII.

NVnc magis in particulari ista tractanda sunt. Ac discussuramus per illa quatuor genera rerum spiritualium, que posuimus, definitionem simoniae explicantes. Cuius quorum primum, dico tria.

Primum est, vendere, aut pretio contractare virtutum supernaturalium vsus, seu operationes, est simonia: v. g. si quis det pecunias pro alterius ieiunio, vel alterius oratione, vel aliquo alio actu virtutis, aut, ut audiat sacrum, & proximum corrigat, & similia. Alijs vijs quam praedictis potest dari pecunia, ut per modum eleemosynae, aut spontaneae donationis aut sustentationis.

Secundum Commutare huiusmodi spiritualia inter se non est simonia, ut, orare pro vno, ut alter ieiunet pro te, & audire confessionem vnus, ut alter audiat tuam, & huiusmodi alia, simonia non sunt. Ista est contra Conrad 4. dist. 25. ar. 3. Est tamen secundum mentem Soto libr. 9. de iust. quest. 5. in fine, &

ratio

ratio est aperta, quia commutare spirituale pro spirituali, non est prohibitum iure diuino, alias numquam liceret Pontifici dispensare in commutatione beneficiorum. Ergo est tantum de iure positivo, sed talis commutatio numquam habetur prohibita in vll'o iure, nisi tantum in beneficijs, cap. quasi um, de rerum permutat. Ergo illa licita est, nec vlla committi ut simonia.

Tertium est, pro vsu virtutum naturalium, quæ naturaliter acquiruntur, pretium dare vel accipere, non est simonia; vnde licite lectores facultatum, etiam Theologiae, pretium possunt accipere sui laboris, nec vllam committunt simoniam.

Erga secundum genus rerum, putà sacramentorum, & sacramentalium, dico etiam aliqua.

Primum est. Licet alicui exigere pretium pro labore antecedenti in administratione sacramentorum. Ista est Soto lib. 9. q. 6. ar. 1. Explico: Duplex est labor in sacramentorum administratione: Vnus est antecedens, qui non est per se coniunctus cum sacramento, nec sacramentum cum ipso; vt, si quis Sacerdos ad audiendam alicuius confessionem, duo aut tria millia conficiat, aut aliquas etiam expensas faciat, labor dicitur annexus; & pro hoc potest pretium exigi, & dari. Alter labor est concomitans, qui per se coniunctus est cum ipsa re spirituali, immò in ipso consistit, aut sine ipso esse non potest, vt labor in audiendo confessionem, in baptizando, in ordinando. Et de hoc.

Dico secundo. Pretium exigere pro tali labore in sacramentorum administratione, simonia est, non enim ille labor distinguitur ab ipsa re spirituali.

Dico tertio; Potest aliquis exigere pretium pro obligatione, qua se obligat ad sacramentorum administrationem: v. g. si quis se obliget per annum vel duos, aut tempus aliquod ad sacramenta ministrandum seu celebrandum, pretium exigere pro tali obligatione potest absq; simonia. Ratio est, quia hic non vendit rem spirituales, sed suam libertatem. Similiter, qui se obligat ad cantandum in choro, aut concionandum, potest pro sola obligatione pretium exigere. Ita habet Caiet. ver. simonia, & Glor. super ea significatum, de praben. immò deducitur ex tali c.

Dico quarto, pro ipsa administratione sacramentorum, nõ potest pretium exigi absq; simonia, potest tamen per modum

sustentationis; quamuis, si habet officium, vnde ex obligatione incumbit id facere, habet que redditus sufficientes, non potest exigere isto titulo; potest tamen accipere datum per modum oblationis, aut spontanea gratitudinis. Est autem notandum, quod licet diues sit Sacerdos, potest exigere per modum sustentationis, quando aliunde habet redditus, nec obligatur ex officio ob tales redditus ministrare: vnum tamen hic notandum occurrit circa Episcopos, quantum ad ordinum administrationem, ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 1. de reformatione, vbi tria instituuntur & ordinantur circa hoc.

Primum est, ne vllus Episcopus pro vllius Ordinis collatione, aut pro literis dimissorijs, aut pro sigillo quicquam potest accipere, quocumq; præ extu etiam sponte oblarum, sed omnino gratis ista exhibeantur. Vbi nota non excusari Episcopos titulares, qui in aliorum diocesisbus ordinant, ipsi principalibus consentientibus: isti enim nihil possunt accipere, præterant à suis diocesisanis suam sustentationem. Nota insuper esse periculum etiam candelas accipere: nam Concilium generalissimè loquitur.

Secundum est circa notarios. Isti enim nihil possunt accipere pro huiusmodi negotio, nisi pro dimissorijs, decimam tantum partem vnus aurei; nec hoc possunt accipere, nisi duabus conditionibus existentibus.

Prima est, vt fuerit consuetudo ante Concilium accipiendi aliquid prius.

Secunda est, vt salarium non habeant: qui enim habent, accipere non possunt quicquam. Similiter nec illi, quando consuetudo erat nihil accipiendi.

Tertium est, circa notarium, similiter & Episcopum. Non potest Episcopus commodum aliquod habere per viam notarij, exigendo aliquid ab ipso notario, pro his, quæ notario eueniunt. Liberalis ergo, & omnino

gratuita debet esse Ordinum
collatio.

De simonia in tertio genere rerum spiri-
tualium.

CAPVT LXXXIX.

Tertium genus rerum spiritualium, erat operationum ex officio aut potestate aliqua spirituali procedentium, quæ mixtæ sunt, quamuis aliquæ magis spirituales, aliquæ magis temporales sint.

Prima spiritualium, est operatio Episcoporum, id est, actus omnes, quos Episcopus, vt talis est, facit per potestatem iurisdictionis, seu ordinis; vt, dispensare in voto, relaxare iuramenta, absoluerè a censuris, consecrare templa, & alia huiusmodi, quæ etiam ad Pontificem summum pertinent.

De his dico primo, quòd nullo modo potest pretium pro istis exigi, aut dari absq; simonia, cum sint simpliciter spiritualia: & ita docet S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3.

Dico secundo. Cum redditus sunt sufficientes Episcopo ad sustentationem, non licet, nec etiam per modum sustentationis exigere, sed solum si sponte offerrentur.

Dico tertio, non esse murmurandum contra Papam, qui exigit pro his pecunias, non per modum pretij; nam ista ad sustentationem dantur, qua multum indiget tanta in Ecclesia dignitas. Dantur etiam aliquando per modum poenæ. Dantur etiam per modum compositionis, id est, cuiusdam commutationis: nam qui petit ab onere alicuius legis liberari, iuste potest aliquo leuiori pecuniæ onere onerari, & hoc vocatur per modum compositionis; Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. de reformatione, ordinat, vt Episcopi tempore visitationis nihil accipiant, nec etiam munera oblata, nisi tantum pro victualibus suis, quæ sint moderata & frugalia. Ordinatur etiam cap. 6. vt dispensationes in matrimonio gratis fiant. Hoc autem ad Papam non pertinet, qui non tenetur legibus hisce, licet sit sanctissimum eas obseruare. Est aliud genus operationum spiritualium, nempe missarum celebratio.

De quo dico primo, simoniam esse, pretium accipere pro ipsa missa, cum sit res spiritualis.

Dico secundo, potest accipi pecunia per modum sustentationis, aut oblationis gratuita, vt fit in alijs spiritualibus.

Dico tertio, non licet sacerdoti pacisci de pretio, videtur tantum pecuniæ, quo nõ dato celebrare nolite. Ita dicit S. Thomas 2.2. q. 10. art. 4. de simili operatione spirituali, puta, de funere: dicit enim, iniquum esse exigere pretium pro funeri solennitate, ita vt aliter nolite sacerdos opus facere. Cetero quodlibet 1. q. 9. temperat hoc quando sacerdos diues est: quando enim est pauper, potest pacisci de pretio sustentationis. Soto lib. 9. q. 6. art. 1. dicit, non quidem esse simoniam, sed iniquum propter scandalum pacisci de sustentatione. Ego puto sic dicendum, quando sacerdos sustentationem habet suam, nec potest sustentationem exigere, tunc non potest pacisci, quia si paciscatur, iam videtur esse pretium rei spiritualis: non enim talis titulum alium habet accipiendi, nisi ex oblatione, in qua exactio non est. Quando vero sustentari debet absq; alijs, tunc, nisi sit scandalum, potest de pretio conuenienti sustentationis pacisci. In plurimum autem scandalum est, pro missarum celebratione pacisci, etiam pauperes: non tamen est simonia, quod sacerdos querat loca, in quibus pinguiores sustentationes pro sacris celebrandis ministrantur, & deserat loca, in quibus minus datur. Eodem modo dicendum est de concionibus, quæ operatio etiam quædam spiritualis est, & absq; pretio debet esse, licet possit per modum sustentationis aut oblationis accipi, & possent queri loca, in quibus pinguiores fructus eleemosynæ, sed cauendum est, ne dum simonia vitatur, in avaritiam lapsus fiat. Nam qui suæ sustentationi, quantum satis est, habet, & similia loca querit, & non vbi magis fructificare possit spiritualiter, avarus est. Alia etiam quarta operatio spiritualis, est ingressus religionis, præsertim monialium, solent enim dari pecuniæ ministerio: S. Thom. loco citato, respondet ad hoc.

Primo, dare, aut accipere pecunias pro ipso ingressu religionis, simonia est, & sic habetur 1. q. 2. c. quod pio.
Dicit secundo, potest aliquid dari monasterio, cum pauper est, pro victu & sustentatione ipsius monachæ. Intelligitur etiam, quod liceat pacisci. Dices, quid, cum monasterium diues est, & habet redditus sufficientes pro sustentatione monialium? Sylu. ver. simonia, §. 13. refert quosdam Canonistas, dicentes esse simoniam, si pacisci, cum monasterium est opulentum; tamen ipse Sylu. bene limitat, præsumi quidem simoniam, quia videtur tunc potius pro ingressu quam pro victu dari, si tamen vere pro ipso victu daretur, non esset simonia; gratis vero ob-

larum

tarum accipere, nec præsumitur simonia, nec est. Per has spirituales operationes possunt iudicari alia huiusmodi. Sunt tamen alia mista, plus habentes de temporali, ut officium musicorum & canorum, & mundantium templa & preparantiu; ista vendi possunt secundum omnes, & emi, dummodo nihil pro ipsa spiritualitate accipiatur. Et eodem modo dicendum est de rebus spiritualibus, quæ plus habent de temporali, ut vestes & vasa sacra, quæ ratione materiæ vendi possunt, dummodo nihil pro consecratione accipiatur; immò in vsu profanos vendi possunt, dummodo prius vasa frangantur, & vestium formæ auferantur, ut habet S. Thom. loco citato. Hoc modo vult Soroloco citato, quòd terra sepulturæ vendi possit, quamuis securius sit, per modum oblationis aliquid accipere, quam exigere pretium, ut dicit S. Thom. Hæc sunt erga operationes notanda.

*De simonia in sacerdotiorum venditione,
& emptione.*

CAPVT XC.

Quartum genus rerum spiritualium, erat sacerdotium, seu beneficium, Ecclesiasticumq; officium. Simonia erga hæc potest consistere in tribus, aut in emptione & in venditione eorum, aut in permutatione, aut in locatione. Ac primò de emptione & venditione tractandum est.

Circa quod dico primò, vendere aut emere sacerdotium spirituale vllum, simonia est; est enim prohibitū. i. quæst. 3. c. si quis, & alijs capitibus ibidem. Vbi nota quòd non est opus ut intercedat pecunia, aut res aliqua, quæ vendi pecunia solet, sed si etiam intercedat aliquid temporale, pecunia appreciabile, ut obsequium in temporalibus licitis aut illicitis, similiter laus linguæ, similiter matrimonium: qui enim daret beneficium vni consanguineo, hac conditione, ut eius foret nuberet fratri suo, simoniam committeret, quamuis dare beneficium consanguineo, quia talis est, non sit simonia, ut dicit S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 2. Aduerte autem, quòd ista debent dari aut accipi, ut pretium: si enim non intercedat ratio pretij, non est simonia, ut sæpe diximus: vnde qui inferuit Episcopo, ut Episcopus sua obsequia respi-

ciens, gratus sit, & det beneficium via gratitudinis, non tamen solutionis pretij, non est simoniacus. Similiter, neque Episcopus, qui respiciens huiusmodi obsequia, hoc modo dat.

Dico secundo, vendere, aut emere actiones, per quas habetur beneficium, & quæ ordinatae sunt ex se ad illud, est simonia: verbi gratia, vendere, aut emere, seu dare pretium pro designatione beneficii, aut pro electione, aut pro collatione, aut pro possessione, simonia est: immo pro ipsa etiam interventione: qui enim daret alicui pecuniam, ut interueniret, aut pro ipso peteret beneficium, simoniacus esset. Hæc notat in summa Caiet. quodlibet. 1. q. 9. quod, quando electio esset nimis perniciosa Ecclesie, posset dari pecunia, ne fieret talis electio: non tamen ut vlla electio fieret; & ponit exemplum; si Cardines vellent eligere Papam vnum nimis perniciosum futurum Ecclesie, tunc posset eis dari pecunia, ne eligerent. Soto lib. 9. q. 6. art. 1. addit, non solum pro hoc, sed pro ipsa electione licet, quando non esset nisi vnus dignus Papa, alij autem essent perniciosi: tunc enim perinde est, dare pro non electione, ac pro electione: non tamen licet quando sunt multi digni, dare pretium, ut vnus eligatur, quamuis dignissimus sit. Fundamentum Soto est etiam, quia putat non esse simoniam tam prohibitam iure diuino & naturali, quin in aliqua grauè & extrema necessitate spiritali liceat dare pecuniam pro spiritali, & mihi probabile videtur, quamuis rarissimus sit talis casus.

Tertio dico, simonia est, etiam vendere, aut emere ius ad beneficium: nam illud spirituale etiam est: v. g. si quis habeat ius ad beneficium aliquod, & illud vedat alicui, simonia committitur. Rursus, duo litigant, & vnus cedit iuri ob pecuniam, simonia etiam committitur, quamuis, cum causa ex veritate dubia est, potest vni dari pensio, ut supra diximus, sed interueniente Papæ auctoritate.

Rursus, vendere ius patronatus, simonia est; nam ius hoc spirituale est, & sic est prohibitum Concil. Trid. sess. 25. cap. 9. tamquam contra canones: cum tamen tale ius est annexum villæ, aut castello, aut rei temporali, potest vendi cum illa re, dummodo nihil accipiat plus, ratione talis iuris, sicut dictum est de vestibus & vasis sacris. Ita habet Pan. c. querela, ne prelati vic. su. & Armilla, ver. Simo. §. 40 Et sic intellige S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 4. vbi dicit, posse vendi hoc ius. Vnum tamen

nota ex S. Thom. q. citata, art. 2. ad 5. quod licet alicui dare pecuniam ad redimendam vexationem, sed non ante consequutionem iuris ad beneficium; sed postquam iam ius habet iustum, licet pecuniam dare ad arcenda impedimenta iniusta: ver. grat. aliquis est electus iuste, & debite, vel aliquis habet beneficium iam iuste, alij volunt lite iniusta extorquere, vel impedimenta iniusta opponere, ne suo gaudeat beneficio, licet tali pecunia placare insequi: ores hos, sed tamen antequam habeat ius vllum, non licet. Soto lib. 9. q. 6. art. 1. temperat bene hoc quando violentia aut vis inferitur, tunc licet pecunia auferre illam, etiam ante consequutionem iuris: verbi gratia, in carceratur aliquis, ne compareat in tempore proposito coram Episcopo ad beneficium consequendum, quae violentia est detentio, aut detinetur vi, ne, debito tempore suam possessionem accipiat: tunc iniustos detentores potest pecunia placare.

Dico quartò, non solum est simonia, cum aliquis pro se emit beneficium, sed etiam, cum emit pro altero, & tenetur hic relinquere beneficium, cum sciat simoniacè esse habitum: vnde, cum patres pro filiorum beneficijs pecuniam dant, simoniam committunt; & filij, cum primum sciunt, tenentur dimittere beneficia, extra. c. ex insinuat. de simon. Rursus, Simonia est, non solum cum datur pretium ipsi danti beneficium, sed etiam alteri ad petitionem ipsius: vnde, si quis det pecuniã cognato Episcopi, vt ab Episcopo consequatur beneficium, quia Episcopus illi dare noluit, simonia est. Hic est vnum dubium, de eo, qui promitteret dare pecuniam pro beneficio, animo verò non dandi, sed fictè, & sic accepit beneficium, an esset simonia. Ad hoc Soto lib. 9. qu. 8. artic. 1. & Caieta. quodlibet. 1. quæst. 9. dicunt non esse, quia actus exterior ab interiora rationem sumit: vnde, licet talis promissio ficta instrumento confirmaretur, non esset simonia, quamuis in foro exteriori iudicaretur simonia, quia non considerat interiora.

Ego ita credo; quamuis Nauar. super c. fin. de
simonia. nu 9. alia procedat via,
sed hæc est melior.

De simonia in permutatione, & locatione.

CAPVT XCI.

Non solum in venditione, sed etiam in permutatione sacerdotiorum simonia potest accidere.

Erga quam dico primo. Permutare spirituale temporali officio, simonia est; vt, si quis sacerdotium officio seculari permutaret.

Dico secundo, Etiam est simonia, spirituale beneficium permutare cum illo spirituali, quod maiori ex parte temporale est; & hoc modo permutare beneficium cum pensione, simonia est.

Dico tertio, etiam permutare beneficium, simonia est, nisi adsint debita conditiones. Et quamuis Innocen. putet hoc ad esse intelligendum de beneficijs in eadem Ecclesia, & eiusdem qualitatis, tamen Syl. v. permutatio, §. i. melius dicit, vniuersaliter intelligendum esse, de quorumcumq; beneficiorum permutatione: nam vniuersaliter prohibetur, cap. quatuor, de rerum permutatione.

Conditiones autem sunt tres assignatae à Tabiena, beneficium. 3. §. 16.

Prima, ne sit ista permutatio sine facultate superioris. Vocamus autem in hac parte superiorem, illum, qui potest beneficia illa conferre. Quoties ergo sine licentia fit, simonia est.

Secundo, vt non fiat absolutum pactum permutationis ante facultatem. Possunt quidem illi tractare de permutatione, sed non pacisci absolute, nisi in ordine ad superiorem, in cuius manu sunt beneficia relinquenda; quamuis possint renunciari in eius manus cum conditione permutationis: pacisci autem absolute inter se, simonia est.

Tertia, ne intercedat spirituale pretium in permutatione. si quis enim pretium daret alteri, quia alterum beneficium maioris est dignitatis, simonia esset; quamuis, cum vnum beneficium pinguius est, licitum sit exigere pensionem aliquam pro satisfactione fructuum, vt habetur e. ad quaestiones, de rerum permuta. sed id non debet fieri, quin exprimat pensio ipsi Papae, vt dicit bene Soto lib. 9. q. 7. art. 2. Adde, permutationem non debere fieri ob aliquod commodum temporale, vt pretium: tunc enim simonia esset; vt, si quis permutaret beneficium cum altero, vt eius soror nuberet fratri suo, aut re-

mitteret iniuriam, aut ob aliquid tale. Permutatio ergo, his conditionibus positis, licita est; cum verò vna deest, committitur simonia. Quando duæ priores deficiunt, simonia est de iure positivo; quando verò duæ posteriores, est contra ius divinum: nam iam est venditio, & emptio quædam rei spiritualis.

Atque hæc de permutatione notanda sunt. Simonia etiam committitur in locatione sacerdotiorum, & spiritualiũ. Erga quam dico aliqua.

Primò: Locare potestatem iurisdictionis, seu vices spirituales, simonia est: V. g. si quis Episcopus locet suã potestatem iurisdictionis supra alios, simoniacus est. Similiter, si curatus potestatem ministrandi sacramenta locet, simoniacus est. Ita habet Sylu. ver. simonia, §. 14.

Dico secundo: Locare, aut vendere obventiones, & oblationes ecclesiasticas, non est simonia; v. g. si Episcopus locet, aut vendat commoda, quæ sibi obveniunt ex iurisdictione. Similiter, si curatus vendat, aut locet, quæ in ecclesia sibi offeruntur, non est simonia.

Ita habet Sylu. ver. simonia, §. 14. Notat tamen, cum huiusmodi venduntur, aut locantur, non est peccatum mittendus laicus recipere, & in ecclesiam ad oblationes colligendas intrare, sed clericus est substituendus, qui pro illo huiusmodi munus accipiat.

Dico tertio: Non est simonia, vendere, aut locare fructus beneficiorum, aut sacerdotiorum, si fiant ad concessum tempus. Ista est communis omnium, sed tamen variant in temporis quantitate.

Est enim extrauag. ambitiosè, de rebus eccles. ex Paulo secundo, vbi solum conceditur huiusmodi alienatio ad triennium, & alienantibus vltra hoc, infligitur excommunicatio Episcopalis, & ipso iure, priuatio eorundem beneficiorum. Et, si ista Paulina vbiq; seruaretur, & recepta esset, non esset controuersia; sed non ita est, vt dicit Nauar. cap. 27. summæ, num. 149. & Caret. verb. excommunicatio: in multis enim locis non seruatur: & nullibi quantum ad pœnam priuationis beneficiorum.

Vbi autem non seruatur, Nauar. dicit posse locari, aut vendi huiusmodi fructus ad septennium, secundum ius, ea. que-relam, ne prælati vic. su. sed ex hoc capite solum habetur,

quòd Papa iussit locantem ad septennium stare pacto, non tamen determinauit, non posse vltra hoc tempus locari huiusmodi redditus. Ob id Syluest. ver. locat. §. 3. & Tabien. eod. ver. dicunt posse per modicum tempus, id est, per nouem annos: in iure enim tempus modicum, est minus decem annis. Tamen Panorm. c. querelam, allegato, dicit posse per tempus vitæ locantis, locari, & vendi fructus, etiam sine licentia superioris; nec est vllò iure prohibitum hoc. & allegat Hostien. ad hoc; & Federicum.

Immò idem Syluest. ver. simon. §. 14. dicit, non est prohibitum iure, vendere fructus sacerdotis ad vitam; licet non sit honestum facere: & ego ita credo. Vbi ergo Paulina non est recepta non est simonia locare fructus, ad quodcumque tempus. Paulus Quartus renouauit bullam Pauli II. faciens nullas locationes, vltra triennium, sed non est etiam in via. Alia dici poterant de locatione, sed parum pertinent ad presens institutum. Vide Summistas, ver. locatio, & etiam versalienatio, qui alia circa hoc dicunt. Hæc tamen tria dicta seruent. Vide Conc. Trid. Sess. 25. c. 11. vbi statuitur circa locationes, ne fiant in præiudicium succedentium in beneficijs, quando factæ fuerunt anticipata solutione.

De Simonia in pensionibus.

CAPVT XCII.

Superius plura, diximus de pensionibus, nunc pauca, quæ ad simoniam spectant, addemus.

Dico primò; pensiones, quæ loco beneficiorum dantur, ut, quæ dantur pro adiutorio in officio spirituali, aut pro aliquo officio spirituali, non licet emere, aut vendere, absque simonia: sunt enim pro spiritualibus habendæ, cum loco beneficiorum institutæ sint.

Dico secundo, sæculares illæ pensiones, quæ dantur ob sæculare officium erga Ecclesiam, ut militibus, aut clericis dantur, vendi, & emi possunt absque simonia. Ita habet Sor. lib. 9. quæ. 7. art. 2. Atque huiusmodi sunt illæ, quæ vocantur commendæ.

Dico terciò, pensiones hæc, quæ ob resignationem alicuius

beneficij

beneficij dantur, quæ modò sunt communissimæ, possunt redimi absque simonia, immò etiam sine facultate alia: solent enim quinq; annis redimi. Quòd si modò cum facultate, sit redemptio, est ad maiorem securitatem, ne alter negare possit factam redemptionem. Aduertendum tamen, hic posse committi simoniam hoc modo, si quis dat alteri beneficium cum pensione, & facit pactum, vt statim redimatur pensio, simoniacus est, vt habet Caiet. opusc. 16 q. 10. quamuis enim postea possit redimi pensio, non tamen potest resignari beneficium cum pacto redemptionis huius.

Dico quartò; Pensiones huiusmodi non licet vendere, aut emere absque simonia; sunt enim spirituales etiam, cum non nisi clericis dentur, & tunc loco beneficij resignati concedantur. Non ergo licet vendere huiusmodi ius. Quòd si quis dicat, non esse prohibitum vlio canone, dico esse prohibitum consuetudine nam Romæ punitur vt Simoniacus qui huiusmodi pensiones vendit absque facultate. Sicut etiam non est prohib. iure, Episcopis imponere pensiones; ob consuetudinem tamen, & communem stylum Romanæ curiæ, si quis sine Pontificis summi facultate, pensiones haberet, simoniacus esset. Cauendum ergo est à talium venditione.

De pena simoniaci.

CAPVT XCIII.

Quadruplex est simoniaci pœna, quam vide in *Sylu. ver.* simonia § 19. sed dux sunt præcipuæ.

Vna est, excommunicatio Papalis in ipso facto.

Altera est, priuatio beneficij ipsius venditi, aut empti, & obligatio ad restituentam pecuniam acceptam, & excommunicatio contra scientes, & non manifestantes simoniacos, vt habetur extra cum detestabile: sed non est in vsu hoc, vt habet Tabien. verb. simonia § 75. aut debet esse, cum noti sunt omnino simoniaci.

Erga pœnam verò contra ipsos simoniacos, dubium est, an sit contra omnem simoniam, mentale, conuentionalem, reale. Et quidem omnes conueniunt, nò esse cõtra mentalem, quæ solum cõsistit in mente, & ad nullum actum exteriorem

pro-

progreditur. Tamen de mentali, quæ progreditur exterius, licet non exprimat pactum, aut pretium, sed solum maneat in intentione, Soto libr. 9. quæst. 8. putat incurri pœnam. Tamen contrarium est tenendum: nulla enim simonia mentalis incurrendi pœnam est causa; sed solum est peccatû. Ita habet Panorm. super c. mandato, de simon. imò ipsam caput determinat hoc idem: hoc etiam tenet Sylu. verb. simonia, §. 20. & Caiet. verb. simonia, cap. 2. Circa conventionalem etiam conveniunt, primam conventionalem, quæ ex neutra parte ad opus venit sed solum in pacto stetit, non incurtere pœnas.

Similiter etiam nec incurri pœnam ob conventionalem illam, qua vnus accepit pretium, sed nondum tradidit beneficium: sed est peccatum mortale, obligans ad restitutionem, ad pretium idem, quod acceptum est, vt tenet Caiet. & Soto loco citato.

In tertia verò, qua vnus dat beneficium, & non alter dedit pretium, sed p̄misit, discordia est. Navar. c. si. de simonia, tenet non incurri, donec detur pretium. At communis sententia tenet contrarium; & Soto conatur probare lib. 9. q. 8. §. 1. hanc communem sententiam, quã profecto ego etiã teneo, & credo verissimã esse. Et est vnũ caput notandũ, quod oēs isti nondum aduerterunt c. cum sup. de Confess. vbi Papa damnauit simoniæ quendam canonicum, qui vendiderat electionem cuiusdam, quingentis aureis promissis, & nondum acceptis, & spoliavit illum beneficio.

Rursus stylus Romæ communiter tenet, hunc esse simoniacum. Rursus est etiam cap. nobis fuit, de simonia, vbi simile quid habetur. Rursus Pius IV in bulla reformationis penitentiaræ, reseruauit sibi dispensationem, in retinendo beneficio, & fructibus per simoniam conventionalem, & occultam perceptis.

Rursus etiam ratio fauet: nam ad tradendum beneficium, & cum promissione pretij, verissima est venditio, & emptio realis: ergo & simonia realis. Nec iste doctor vllum habet suæ opinionis fundamentum.

At quia hodie multi ipsum sequuntur, et edere licere aliquando vti eius opinione, cum res hæc moralis sit, & in opinione posita; sed non est semper à sententia communi hæc discendum.

In reali simonia, omnes conueniunt, poenas incurri, cum ex utraque parte perficitur traditio beneficii, & pretij; tunc beneficium est dimitendum in manus conferentis, & pretium restituendum. Soto loco citato, dicit esse reddendum ei, a quo acceptum est. Sanctus Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. cum communi sententia tenet, esse pauperibus, aut Ecclesie reddendum, non simoniaco. Et communis est sententia tenenda. Potest autem compositio fieri cum Papa. Istae poenae non sunt contra omnem simoniam, nisi contra simoniam in ordine, & beneficijs.

Et haec sint pro praesenti libro, in quo egimus de praecipuis secundae tabulae. De decimo praecipuo nihil est dicendum, praeter ea, quae diximus in 6. praecipuo de fornicatione. Est autem decimum praecipuum. *Non concupisces uxorem proximi tui.*

(.:.)

Laus Deo. Finis libri Quinti.

